ANIMADVERSIONES IN EVRIPIDIS HERCVLEM ET ALCESTIN

DISSERTATIO PHILOLOGICA QVAM
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA
GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIII M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXI HORA XII

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

DITERICVS HOLTHOEFER
RHENANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CAROLVS SCHVETH.
DODO SILOMON.
CAROLVS HOFIVS.

BONNAE · TYPIS CAROLI GEORGI VNIV·TYPOGR·

MDCCCLXXXI

ANIMADVERSIONES IN EVRIPIDIS HERCVLEM ET ALCESTIN

DISSERTATIO PHILOLOGICA QVAM
AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
ORDINIS IN VNIVERSITATE FRIDERICIA
GVILELMIA RHENANA RITE IMPETRANDOS
VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIII M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXI HORA XII

PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

DITERICVS HOLTHOEFER
RHENANVS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT

CAROLVS SCHVETH.
DODO SILOMON.
CAROLVS HOFIVS.

BONNAE · TYPIS CAROLI GEORGI VNIV·TYPOGR·

MDCCCLXXXI

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

S.

COMPENDIA.

K. = Kirchhoffius.

Kl. = Klinkenbergius De Eur. prol. arte et interpol.

N. = Nauckius.

Wil. = Wilamowitzius.

De Herculis prologo.

Inter omnes fabulas Euripideas praeter Cyclopem et Supplices vix unam reperies, cuius prologus ab interpolatoribus minus turbatus sit quam Herculis. Missis enim nonnullis rebus levioris momenti usque ad v. 50[1]) omnia tam recte procedunt, ut nemo non videat in hac prologi parte genuinum sententiarum conexum et rerum ordinem servatum esse. Quod quid sibi velit, omnes intellegunt, qui desperatam multorum nostri poetae prologorum formam haud ignorant. Sed etiam inter hos quinquaginta versus unus est spurius, quem N. optimo iure damnavit, (47) praesertim cum interpolator structuram usurpaverit apud tragicos poetas rarissimam, cf. Pors. ad Hec. v. 1141 (N. 1159). In extrema vero prologi parte (51—59) multo vehementius saeviit falsariorum furor, quem sagaciter iam patefecit Iosephus Klinkenberg in libello 'de Euripideorum prologorum arte et interpolatione' (p. 36—38) nuper edito. Nihilominus Kl. de nostro prologo disputatio me non prohibebit, quominus quae iam dudum de hoc loco sensi et in schedis meis scripta habui, hic proferam et exponam. Nam de rebus minoribus ego dissentio a Kl. et ubi non dissentio ab illo, expositionem meam ita institui, ut etiam post illius egregiam explicationem legi possit. Atque primum quidem mihi displicet nimia severitas qua Kl. abiudicavit ab Euripide v. 53—54:

πλευρὰς τιθέντες· ἐκ γὰρ ἐσφραγισμένοι
δόμων καθήμεθ' ἀπορίᾳ σωτηρίας.

Quamquam ego quoque hoc statim concedo horribilem dictionem: ἐκ γὰρ ἐσφραγισμένοι δόμων, in qua semper offen-

1) Numeris utor Nauckianis.

derunt viri docti, neque Euripideam neque Graecam esse. Praeterea non tam caecus sum, ut non videam lenibus coniecturis hos versus sanari non posse. Nam valde nobis cavendum erit, ne cum Madvigo qui ἐσφαιρισμένοι scribere vult, pro falso vocabulo plane ridiculum ponamus, quod Byzantini scriptores de eis adhibent, qui pilae modo equis deiciuntur (Madv. Adv. Crit. I p. 245). Ne Schenkliana quidem coniectura: ἐκ γὰρ ἐσφραγισμένων δόμων καθήμεθ' hos duos versus Euripide dignos reddere potest (Car. Schenkl. disput. de locis aliquot Eur. Herculis. Pragae 1874 p. 10). Nam utique intolerabile est καθήμεθ', quoniam notio sedendi in v. 48 — βωμὸν καθίζω — et in v. 51 — τάσδ' ἕδρας φυλάσσομεν — iam satis superque expressa est. Multo autem minus, si recte video, quam haec molesta eiusdem sententiae repetitio et verbum ἐξεσφραγισμένοι illud vituperari potest, quod Kl. aegre fert, dum desiderat pro τιθέντες — τιθέμενοι. Nam defenditur forma activa his locis Euripideis: El. 1208—1209. Cycl. 544. Or. 280. Tr. 1305, ibid. 1307, multis similibus exemplis. Quamobrem ego mordicus teneo tradita verba: ἀστρώτῳ πέδῳ πλευρὰς τιθέντες, non modo quia sententia v. 51—52 magis abrumpitur quam bene clauditur nudis verbis ἀστρώτῳ πέδῳ, sed etiam quia Amphitruo in hac suae condicionis descriptione non omnino omittere debuit eam rem, quae nunc falsarii fraude amplificata et malis vocabulis obscurata exstat in v. 53—54. Accidit enim plane contrarium atque Kl. coniecit, cum versus ille, quem vir doctissimus fontem esse nostrae interpolationis credit, suo loco ferri nequeat. An censebimus Euripidem finxisse Megaram talia Lyco exponentem qualia haec sunt (v. 330):

δόμους ἀνοίξας· νῦν γὰρ ἐκκεκλείσμεθα,

cum Lycus ipse domum Herculis claudi et obsignari iussisset? At dicas forsitan non Lyci causa sed spectatorum additum esse hunc versum. Quod libenter ita concedo, ut dicam falsarium satis insipidum intrusisse v. 330, ut vel stupidissimus quisque facile intellegeret primum versum Lyci (332):

ἔσται τάδ'· οἴγειν κλῇθρα προσπόλοις λέγω.

Ipse Euripides certe nusquam ausus est hac ratione 'ψυχρῶς τῷ θεάτρῳ προσδιαλέγεσθαι' (cf. schol. Eurip. Tr. v. 36.

Dind. vol. I p. 44). Immo ne in prologis quidem, ubi loquacitati suae nonnunquam indulsit, eas res, quae in scaena depictae credendae sunt, necessario amplius explicare studuit. Ita in nostro prologo, ut ad v. 53 redeamus, obiter tantum commemorasse videtur clausam Herculis domum, cuius effigiem spectatores in scaena vidisse certum est. Poterat autem poeta hanc rem perspicue significare tribus verbis, quae locum suum videntur habuisse in altera parte v. 53. Certa quidem coniectura vix proponi poterit, quoniam forma tradita non modo amplificata sed etiam pessime consuta est ex veris spuriisque vocabulis. Hoc unum mihi verisimile est notionem signandi ex vetere quadam explicatione vel scholio manasse et verbi genuini locum occupasse.

Sed transeundum est ad tres extremos prologi versus, 57—59:

τοιοῦτον ἀνθρώποισιν ἡ δυσπραξία,
ἧς μήποθ' ὅστις καὶ μέσως εὔνους ἐμοὶ
τύχοι, φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον.

Gaudeo autem quod de his versibus, quibus iam dudum obelum praefixi in exemplari meo, plane consentio cum Kl. (cf. p. 38). Concedo quidem v. 57, quippe qui sententiam v. 55—56 complecti et repetere atque toti prologo finem imponere videatur, per se tolerari posse. Tamen vereor ne artius cohaereat cum duobus sequentibus versibus quam ut unus ex his tribus vere Euripideus existimetur. Accedit quod talem versum quivis interpolator facillime pangere poterat. Sed etiam si quis dubitet de v. 57, spero v. 58—59 nisi ab caecis hominibus non defensum iri, cum certum sit hos versus non modo cum prologi sententia sed etiam cum rationibus grammaticis pugnare. Ego quidem nusquam falsiorem appositionem (sit venia huic voci grammaticae!) legi quam illam quae exstat in v. 59: φίλων ἔλεγχον ἀψευδέστατον. Apparet enim ex sententia v. 55 et 56 hunc accusativum nisi ad vocabulum δυσπραξία (57) referri non posse, quoniam δυσπραξία vere est φίλων ἔλεγχος ἀψευδέστατος. Quod recte olim perspexerunt prisci Euripidis interpretes, ut Reiskius et Heathius (cf. edit. Barnesianae vol. III. cur. a Beckio p. 595). Sed ex v. 58 videmus non ipsam δυσπραξίαν dici

φίλων ἔλεγχον, sed hoc quod satis mirum est: ʻne ei quidem, qui mediocriter tantum nobis benevolus est, hanc δυσπραξίαν imprecari. Frustra autem quaeres, cur omnino hanc piam sententiam Amphitruo hoc loco enuntiet. Praeterea id quod multo gravius est, ne haec quidem sententia perspicue et recte ab interpolatore expressa est. Atque ne diutius circa rem ipsam erremus, opus nobis erit naturam illius appositionis, quam falso imitatus est auctor v. 59, accuratius explicare et definire. Refertur enim hic accusativus, quem Euripides ex omnibus auctoribus Graecis saepissime et audacisssime usurpavit, ad tota enuntiata, ita ut hoc brevi additamento non solum summa sententia vel ea actio, quae superiori enuntiato subest, repetatur adstricte, sed etiam interdum id describatur, quod sequitur vel elucet ex illa actione. Sed si nostrum locum inspexeris, nusquam invenies eam actionem, ad quam accusativus ἔλεγχον pertinere possit. Neque enim fieri poterit, ut ex optativo illo ἧς — τύχοι ipsam optandi actionem eliciamus et suppleamus, praesertim cum hac periculosa supplendi ratione auctoritas v. 58 et 59 nullo modo augeatur. Immo tam perversus est totus locus, ut omnibus lenioribus medelis, quas caute adhibuerunt prisci illi interpretes, ne gravissimae quidem offensiones removeantur. Quamobrem certum est v. 57—59 ab genuino Herculis prologo esse alienos. Restat, ut ea proferam, quae de origine et historia (si ita dicere licebit) huius interpolationis conicio. Mihi enim verisimile est olim v. 57 et 59 non tam intrusos fuisse veris versibus quam in margine adscriptos. Fortasse autem v. 59 hanc genuinam habuit formam:

τύχη φίλων ἔλεγχος ἀψευδέστατος,

cf. fr. inc. 1058, ubi τύχη dicitur ἔλεγχος, sensus autem nostro versui parum est similis. Postea autem ab falsario impudentissimo duo illi versus non modo contextui poetae inserti sed etiam mutati et rationibus grammaticis neglectis per versum insipidum conglutinati sunt [1]).

---

1) Cum Herc. v. 57 comparari potest Andr. v. 273, qui simili modo superiorum versuum sententiam complecti studet quemque delevit Wil. An. p. 208 gravissimis de causis. Cui adici potest Alc. v. 196:

De Herc. v. 73—81.

Amphitruoni προλογίζοντι respondet Megara, cuius verba usque ad v. 73 recte se habent. Sed a v. 73—79 mira nobis occurrit narratio, quae mihi primo obtutu quasi suave quoddam εἰδύλλιον non displicuit. Tamen paene invito mihi persuasit Kl. (p. 37—38) hunc locum amoenum esse in suspicionem vocandum. Damnantur autem hi versus hac una quaestione, quam Kl. nobis proposuit, ubinam fores illas esse putemus quae crepare dicantur in v. 77 et 78. Quamobrem mihi nunc certissimum est haec verba Megarae (73—79) non solum a vero fine orationis, quem expressum habemus v. 85—87, plane aberrare sed etiam, quod ad colorem sermonis attinet, mirum quantum differre a praecedentibus versibus. De tradita vero huius narrationis forma cum viris doctis litigare vix operae pretium erit. In v. 77, in quo corrigendo adhuc frustra sudaverunt interpretes Euripidei, conicerem pro μυθεύουσα scribendum esse μαλθάσσουσα, nisi omnino crederem omnes coniecturas hoc loco esse inutiles. Sed tempus est, ut transeamus ad v. 80—81, de quibus idem iudicandum est quod de v. 73—79. Falsarius enim, postquam vidit insiticia sua narratione se plane turbasse genuinum cursum sententiarum, novo transitu redire voluit ad eum rerum conexum, quem loquacitate sua reliquerat. Quod, ut decet impostorem, ita fecit, ut diligentes lectores nihilominus haereant in ea lacuna, quae inter v. 79 et v. 80 exstat. Atque

---

τοιαῦτ' ἐν οἴκοις ἐστὶν Ἀδμήτου κακά.

Miror enim quod Wheelerus, qui suo iure ab Euripide abiudicavit v. 197—198 (de Alcestidis et Hippolyti Euripidearum interpolationibus p. 29) hunc versum dubia coniectura mutavit pro Ἀδμήτου scribens δεσποτῶν. Mihi multo verisimilius est etiam v. 196 spurium esse, quoniam originem suam traxisse videtur cum a v. 199 tum a v. 157 (ἃ δ' ἐν δόμοις ἔδρασε), a quo narratio τῶν ἐν δόμοις κακῶν incipit. Nam interrumpitur oratio ancillae a senibus, qui tandem aliquando scire volunt, quomodo Admetus mortem uxoris ferat. Quamobrem verum terminum orationis ante v. 212 non habemus.

ut versus (80—81) ipsos consideremus, nonne plane idem continent, quod in extremis Megarae versibus recto loco et perspicue expressit poeta his verbis: (85—86) ἥντιν' οὖν γνώμην ἔχεις, λέγ' ἐς τὸ κοινόν? Et quid desiderares, si in codice nostro legeres:

v. 70 ἐγὼ δὲ καὶ σὺ μέλλομεν θνῄσκειν, γέρον,
οἵ θ' Ἡράκλειοι παῖδες, οὓς ὑπὸ πτεροῖς
σῴζω νεοσσοὺς ὄρνις ὣς ὑφειμένη,
v. 82 ὡς οὔτε γαίας ὅρι' ἂν ἐκβαῖμεν λάθρᾳ κ. τ. λ.

Sed gravissimum vitium latet in verbo ἐξευμαρίζῃ. Mittimus enim v. 80, ubi traditam lectionem ἢ πέδον iam dudum emendare studuerunt viri docti. Neque enim ausim diiudicare, quamquam mihi magis placet Musgravii ἢ πόρον quam Canteri ἔμπεδον, utra coniectura vera sit existimanda. Sed quidquid putabimus de pristina v. 80 forma, nullo modo defendere poterimus traditam verbi ἐξευμαρίζειν (nam de forma media taceamus!) cum substantivo ἐλπίδα coniunctionem. Nam in hoc vocabulorum conexu ἐξευμαρίζειν nihil aliud significare debet quam ἐξευρίσκειν. Quod iam dudum senserunt interpretes, qui duos locos ex Iosepho attulerunt, ubi invenimus πόρον σωτηρίας εὑρέσθαι (cf. edit. Barnes. vol. III p. 595). Praeterea Meklerus in 'Euripideis' suis (p. 52) nonnullos versus Euripideos collegit, ubi eadem vel similis dictio adhibetur. Sed idem Meklerus periculosae plenum opus aleae suscepit, dum novum versum Euripidi intrudens genuinam nostri loci formam hanc fere fuisse censet:

νῦν οὖν τίν' ἐλπίδ' ἢ πόρον σωτηρίας
ἐξεῦ[ρες ἡμῖν, ᾗ τύχην δυναίμεθ' ἂν
ἐξευ]μαρίζειν, πρέσβυ; πρὸς σὲ γὰρ βλέπω.

Nimia mehercle usus esset loquacitate poeta, si notiones: ἐλπίδα et ... σωτηρίας tali versu plane supervacuo repetiisset. Sufficeret autem ita hunc locum emendare, ut pro ἐξευμαρίζῃ scriberemus ἐξεῦρες ἡμῖν, nisi hoc falsum verbum quasi tessera esset, cuius auxilio falsarius patefieret. Apparet enim interpolatorem has duas dictiones: ἐλπίδα ἐξευρίσκειν et συμφορὰν ἐξευμαρίζειν commiscuisse et ita contaminasse, ut ea vis, quae in adiectivo εὐμαρὴς latet, omnino evanesceret. Praevalet autem huius adiectivi significatio in verbo ἐξευμα-

ρίζειν, ubicunque praeter nostrum versum nobis occurrit. Coniungitur autem hoc verbum cum eis vocabulis, quae malas et molestas res describant, ut in fabulae nostrae prologo Euripides rectissime dicit v. 17—18 συμφορὰς δὲ τὰς ἐμὰς ἐξευμαρίζων, ut apud Philonem inveniuntur talia qualia haec: ἐξευμαρίζειν τὰ δυσκατόρθωτα vel τὰ λίαν φοβερὰ vel τάς τῶν παθῶν ὁρμὰς, ut ab Eusebio narratur de pugnae alicuius periculis Hist. eccl. X, 9, 4: τῶν κατὰ τὴν συμβολὴν πάντων ἐξευμαρισθέντων αὐτοῖς ὑπὸ τοῦ θεοῦ κατὰ γνώμην. Itaque censebimus hominem Atticum de rebus bonis, ut de spe vel salute (ἐλπὶς .. σωτηρίας), verbum ἐξευμαρίζειν usurpare non potuisse. Neque vero fieri potest, ut hic soloecismus intolerabilis defendatur eis locutionibus, quas Wecklinius disputans contra Mekleri sententiam (Philol. Anz. vol. X, p. 158—159) profert. Nam certum est eum, qui nostro verbo in v. 81 abusus est, non secutum esse artificiosam Wecklinii interpretationem, sed illam explicationem falsam, quae apud Hesychium exstat (vol. II. p. 123), quaeque, quamvis ad locum nescio quem alium pertinuisse videatur, tamen plane in nostrum versum quadrat: ἐξευμαρίσθη· παρεσκευάσθη. Quamobrem mihi persuasum est veram medicinam v. 80—81 reperiri non posse.

De Herc. v. 85—87.

Antequam difficillimam Lyci orationem tractemus, necesse erit pauca exponamus de extremis versibus Megarae declamationis (v. 85—87), de quibus sagacius quam rectius iudicavit Wil. A. p. 235. Quamquam omnia fere, quae de sensu totius loci disputavit vir doctissimus, satis sunt probabilia. Verum enim est non Megaram sed Amphitruonem eum esse, qui cunctando Heraclidarum rem restituere adhuc studeat. Quod ipsa Megara sine dubio haud ignorans, cum omni spe sit derelicta (v. 70—72 et v. 82 sq.), ut iam supra diximus, ultro adhortatur Amphitruonem, ne inutili cunctatione fatum inevitabile differat (cf. etiam v. 282 sq.). Hic autem sententiarum

conexus minime certat cum tradito versuum ordine. Perseveramus ergo constanter in hac interpretatione Reiskiana: 'Dic annon expeditum sit et consultum mori et annon tempus tantummodo trahamus absque fructu, cum non valeamus caedem arcere.' Sed Amphitruo ut cui nondum fixum deliberatumque sit mori, respondet res tam graves (moriundi consilium) festinando perfici non posse. Nam in v. 89 solum verbum περαίνειν, quod Reiskius bene invenit quodque optime opponitur dictioni: χρόνον μηκύνειν, sententiae Amphitruonis convenit. Et haec Amphitruonis verba: οὔτοι ῥᾴδιον περαίνειν clarissime impugnat Megara, dum interrogat: λύπης τι προςδεῖς ἢ φιλεῖς οὕτω φάος; Wil. autem, qui hunc traditum sententiarum ordinem improbat, nobis facilius persuasisset, si eam structuram, quae v. 86 cum v. 87 coniungit quaeque propter μὲν desideratum durior solito videtur, omnino in Euripide ferri non posse demonstrasset.

De Lyci oratione Herc. v. 140—169.

Lyci oratio (140—169) multo aptiorem et faciliorem materiam, quam ei versus, de quibus modo disputavimus, eis praebuit viris, qui versibus transponendis et lacunis statuendis Euripidi veram salutem esse quaerendam putant. Sed liceat nobis, ne nimis perturbemur doctorum virorum, qui de hac oratione egerunt, auctoritate, propriam et novam inire viam ad offensiones, quae insunt his versibus, removendas. Incipimus autem a v. 155—156, quos ipse, antequam Herwerdeni sententiam ex N. adnotatione critica cognovissem, proscribere non dubitaveram. Nam sine dubio turbantur et dirimuntur Lyci Herculis memoriae et virtutibus obtrectantis argumenta his verbis:

τοῖς δ' ἐξαγωνίζεσθε; τῶνδ' ἄρ εἵνεκεν
τοὺς Ἡρακλείους παῖδας οὐ θνῄσκειν χρεών;

Tales enim versus nisi in extrema nostrae declamationis parte nusquam tolerari possunt. Hoc vero loco eo molestio-

res sunt, quoniam impudenter repetunt, quae ante Herculis maledictionem in v. 143 et in v. 146—147 satis superque dicta et absoluta sunt: ὑπὲρ τὴν ἀξίαν τὸ πένθος αἵρεσθ', εἰ θανεῖν ὑμᾶς χρεών. Sed certissimum atheteseos nostrae fundamentum praebet verbum: ἐξαγωνίζεσθε, quod ex auctoris sententia significare videtur: ἀγῶνα effugere vel evadere. Quod Madvigus bene intellexit, qui scribit: τοῖς δ' ἐξ ἀγῶνος ἦσθε, cf. Adv. Crit. I. p. 245. Sed hanc quoque lectionem Euripide indignam putabimus, cum ceteras difficultates, quibus hic locus laborat, ne tangat quidem, nedum e medio tollat vel sanet. Adice quod iterum (cf. v. 81) traditae formae testis nobis exsistit Hesychius (vol. II. p. 113), ubi sine dubio recte Schmidtius ἐξαγκωνίζεσθαι mutavit in nostrum verbum ἐξαγωνίζεσθε. Improbavit autem idem Schmidtius suo iure inventum Schowii, qui hunc Hesychii locum hoc modo digerere conatus est: ἐξαγωνίζεσθαι· ἐξ ἀγώνων πόνον ἔχειν. Supplet enim Schowius interpretationem perditam huius vocis ex sequente glossa. Mihi non dubium est, quin Hesychii interpretatio haud ita longe afuerit ab coniectura illa Madvigiana, cum auctor v. 155 verbo nostro eandem vim tribuerit, quae inest adiectivo ἐξαγώνιος, quod Hesychius bene explicat per ἔξω τοῦ ἀγῶνος ὤν (ib. lin. 11). Debemus enim hos versus 155—156 sapientiae grammaticae eiusdem falsarii, qui aliis quoque locis, ut infra videbimus, verbis cum ἐξ praepositione compositis turpissime abusus est. Rectum autem verbi ἐξαγωνίζεσθαι usum, quod praeter hunc locum in tragicis Graecis non invenitur, ultro omnes intellegent, quibus vis αὐξητικὴ ἐξ praepositionis satis nota est. — Sed quamquam v. 155—156 deletis magna offensio e Lyci verbis remota est, nihilominus multum abest, ut hac simplici medicina totam orationem purgatam et restitutam putemus. Iterum autem coacti sumus dissentire a Wil., qui A. p. 237 contendit post v. 149 magnam partem ex Lyci oratione intercidisse. Nam Lycus, novus Thebanorum tyrannus, penes quem potentia rerum et vitae Amphitruonis est quique in animo habet inimicis suis mortem parare, minime is esse videtur, qui loquacitate et verborum copia adversarium aequiparare vel superare studeat. Quem sensum ipse poeta expressit his Lyci verbis (238—239):

σὺ μὲν λέγ' ἡμᾶς οἷς πεπύργωσαι λόγοις,
ἐγὼ δὲ δράσω σ' ἀντὶ τῶν λόγων κακῶς.

Amphitruonem autem, qui haud ignorat sibi totique Herculis familiae mortem esse decretam a tyranno, optime decet audacius et longius Lyco respondere. Nunc quidem difficillimum nobis est genuinam Lyci breviloquentiam, quae obscurata est interpolatorum fraudibus, plane restituere. Leguntur autem, nisi fallor, sine gravioribus vers. 140—147, quamquam in v. 146 traditum ὥσθ' satis dubium est. Magis autem quam Matthiaei coniectura ὡς mihi placet, quod Wil. scribit in sua editione εἶθ'. Quae coniectura ita intellegenda est, ut Lycum cum indignatione interrogantem faciamus: εἶθ' (h. e. quamquam res vestrae ita se habent) ὑπὲρ τὴν ἀξίαν τὸ πένθος αἴρεσθε. Nam ab his ipsis verbis ὑπὲρ τὴν ἀξίαν incipit nova pars orationis continens odiosa maledicta in Herculis virtutes coniecta. Sed in ipso huius partis limine pedes sistere necessarium erit. An quae necessitudo interest et ratio iusta inter nimium Heraclidarum de morte luctum et inter eas iactationes, quas olim per Graeciam tulisse dicuntur Amphitruo et Megara? Nihilominus fieri poterat optime, ut hoc loco Lycus nimiam illam, quam castigat, lugendi rationem depingeret. Quam descriptionem auctorem v. 148—150 desiderasse consentaneum est. Sed elucet fraus huius hominis cum ex participio aoristi (ἐκβαλὼν), quod propter αἴρεσθε molestissimum est, tum ex additamento ineptissimo: καθ' Ἑλλάδα. Est autem facile dictu, unde falsarius materiam et sententiam horum versuum sibi sumpserit. Quid ergo? nostra fabula nonne incipit ab hisce Amphitruonis verbis satis magnificis: Τίς τὸν Διὸς σύλλεκτρον οὐκ οἶδεν βροτῶν, Ἀργεῖον Ἀμφιτρύων'; et Megara ipsa nonne de se iactat (v. 67—68) κἄμ' ἔδωκε παιδὶ σῷ — ἐπίσημον εὐνήν. κ. τ. λ. (cf. v. 493). Praeterea comparanda est cum nostro loco propter mira verba: καθ' Ἑλλάδ' magna Amphitruonis declamatio, quae vehementer obiurgat terram Cadmi et totam Graeciam (v. 217 sq.). Sed augetur nostra suspicio tradita v. 149 forma: ὡς σύγγαμός σοι Ζεὺς τέκοι νέον, quam certa ratione sanabilem esse optimo iure negat K. Licebit enim dubitare, num hic versus unquam integram habuerit formam, cum interdum

accidere videatur, ut spurii versus recto et pleno numerorum ordine careant[1]). Sed etiamsi integer exstaret v. 149 in libro Laurentiano (nam Florentinus ille Schenklii, qui praebet τέκοι νέον γόνον, omnino neglegendus est), tamen non sufficerent hi duo versus 148—149 ad totam divini Herculis generis ludificationem absolvendam: quod sagaciter intellexit Wil. Quamobrem non desinet sub iudice esse lis de genuina v. 149 forma iam dudum acta. — Restituto autem necessario artoque conexu, qui coniungit v. 147 cum v. 151, nova nobis occurrit difficultas in v. 157, ubi relativum ὅς non habet quo sine offensione referatur. Fingunt quidem interpretes conexum quendam esse inter ὅς et versum 156, quem nos cum Herwerdeno damnavimus, dum explicant cum Wecklinio: ‘ὅς referendum ad Ἡρακλῆς, quod e voce Ηρακλείους eliciendum’. Mihi autem cum Schenklio, qui v. 157 ponit post v. 150, et cum Wil., qui lacunam ante v. 157 statuit, haec violenta supplendi ratio durior videtur quam quae Euripide sit digna. Vbicunque enim ex adiectivo praecedentis enuntiati nomen substantivum elicitur, ad quod novum enuntiatum pronominis vinculo se applicet, huic pronomini tantum pondus inesse debet, ut propter hanc ipsam pronominis vim substantivum, quod deest, minus desideretur. Ita res se habet in Hec. v. 23, ubi αὐτός et in Soph. Trach. v. 260 ubi τόνδε adhibetur a poeta. Adde Herc. v. 263, ubi ἐκεῖνος habemus: sed de hoc

---

1) Ad v. 149 cf. Med. v. 234 λαβεῖν· κακοῦ γὰρ τοῦτ’ ἄλγιον κακόν, quem R. Prinz, et Ion. v. 632 εἴη γ’ ἐμοὶ μέτρια μὴ λυπουμένῳ, quem Wil. A. p. 208 delevit. Addo ex Hercule v. 1151—1152 ἢ σάρκα τὴν ἐμὴν ἐμπρήσας πυρὶ δύσκλειαν, ἣ μένει μ’, ἀπώσομαι βίου, quorum primum frustra emendare student viri docti. Est autem haec interpolatio ex earum specie, quae ab ἢ particula incipiant: quorum satis magnum numerum collegit Wil. ib. p. 205 sq. Sed videntur manasse v. 1151—1152 ex adnotatione quadam mythologica, cuius scriptor fuit homo non indoctus, quippe qui aegre desideraret hoc loco mentionem eius mortis, quam postea Hercules in Oeta monte passus est. Praeterea fortasse adiutus est auctor versuum ab ipso Euripide. Operae enim pretium est cum nostro loco comparare Andr. v. 847—850: οἴμοι πότμου. ποῦ μοι πυρὸς φίλα φλόξ; ποῦ δ’ εἰς πέτρας ἀερθῶ, ἢ (ex Seidleri coniectura) κατὰ πόντον ἢ καθ’ ὕλαν ὀρέων, ἵνα θανοῦσα νερτέροισιν μέλω;

versu infra disputabimus. Neque autem simplex pronomen relativum tanta gravitate praeditum est, ut in tali structura tolerari possit. Omitto enim Hec. v. 711, ubi in versu dochmiaco ἵνα cum eadem licentia usurpatum videtur, quacum Latinorum ubi adhibetur et Andr. v. 652 οὖσαν μὲν Ἠπειρῶτιν, οὗ πεσήματα κ. τ. λ., quem variis de causis una cum duobus sequentibus versibus in suspicionem vocare non dubito [1]). Quamobrem nullo alio modo nostrum Herculis locum sanari posse puto nisi ita, ut versum 157 sequentem faciamus v. 151:

τί δὴ τὸ σεμνὸν σῷ κατείργασται πόσει,
ὃς ἔσχε δόξαν οὐδὲν ὢν εὐψυχίας κ. τ. λ.

Sed ne temeritatis accuser ab eis, qui praeiudicatas opiniones sequentes haec Euripidis purgandi studia temere despiciant, gravissima proferam argumenta, quare moleste feram v. 152—154:

ὕδραν ἕλειον εἰ διώλεσε κτανὼν
ἢ τὸν Νέμειον θῆρ'; ὃν ἐν βρόχοις ἑλὼν
βραχίονός φησ' ἀγχόναισιν ἐξελεῖν.

Primum autem ineptum videtur et inutile ex omnibus Herculis laboribus has ipsas pugnas cum hydra Lernaea et cum leone Nemeaeo commissas, quae minime ludibrio dignae sunt, deridere et despicere. Deinde si quae exempla omnino hic necessaria erant, debebant generalem illam vituperationem, quae inest v. 157 sq., sequi: ita autem, ut nunc verba se habent, exempla ante rem ipsam afferuntur. Addo tertium argumentum, cui ex omnibus maximam tribuo auctoritatem. Comparantibus enim nobis brevem quidem, sed conviciis

---

1) De Andr. v. 652—654 fusius disputare nunc non licet. Sententia v. 654 omnino ridicula et absurda est: v. 652 et 653 autem tanta laborant vocabulorum copia et abundantia, quae vix in tumidissimo cantico ferri possit. Auctor, nisi valde fallor, male imitatus est verum Euripidem, qui exstat Cycl. 304—305. Recte autem iam Hirzelius (De Eur. in componendis diverbiis arte, p. 94) vidit, tertium Andromachae epeisodion interpolationibus valde perturbatum esse. Vt ex hac Menelai oratione magnum versuum numerum (668—677) ipse Hirz. expulit. Etiam Pelei verba (590—641) foedissimis interpolatorum additamentis maculata sunt.

plenam orationem Lyci cum longa Amphitruonis declamatione facile apparet Amphitruonem omnia Lyci maledicta praeter hanc probrosam hydrae et leonis laqueis capti commemorationem non modo tangere sed etiam acriter refellere. Neque vero putabimus Euripidem tanta fuisse socordia, ut Amphitruonem — qui minime verbis parcat quique explicaturus Herculem cum θηρῶν ἐν αἰχμῇ tum aliis in pugnis fortem se praestitisse mentionem faciat eorum certaminum, quae filius subierit cum Gigantibus et Centauris v. 177—183 — plane faceret neglegentem et praetereuntem turpissimum illud adversarii ludibrium. Immo ita res se habet, ut iudicemus simplicem quaestionem v. 151, quae satis erat sapienti poetae, interpolatori insipido bonam praebuisse occasionem singula exempla adiciendi. Restat ut nonnullas res minores, quae displiceant in v. 152—154, commemoremus. Nam διώλεσε κτανὼν pleonasmus est hoc loco plane inutilis. Ineleganter autem repetitur idem verbum in ἑλὼν et ἐξελεῖν, praesertim cum ipsum verbum ἐξαιρεῖν offensione non careat, quod multo facilius toleraremus, si genetivus additus esset ad eum locum designandum, unde Hercules leonem brachiis suis abstulisset, cf. Herod. I. 36, cui loco similis est Hippol. v. 18 θῆρας ἐξαιρεῖ χθονός. Est autem luce clarius ἐξελεῖν in v. 154 nihil aliud significare quam interficere: nam brachiorum suorum vi vel laqueis Hercules leonem Nemeaeum comprehendit et strangulavit. Sed valde dubito, num hoc modo Euripides verbum ἐξαιρεῖν adhibere potuerit. Saepissime quidem ἐξαιρεῖν apud Euripidem puram notionem delendi continet, dicitur autem aut de urbibus expugnatis deletisve aut de totis gentibus exstinctis. cf. Herc. v. 39 et v. 60. El. v. 336. Iph. A. v. 1263. Tr. 892 [1]).

---

1) Schenklii disputatio (l. l. p. 11—13), quam sero inspexeram, meam de genuina nostrae orationis forma sententiam mutare non potuit. Putat enim Sch. hunc versuum ordinem ab Euripide esse profectum: 150, 157—164, 151—156, 165 sq. In extremo versu 169 conicit scribendum esse πάρος pro δίκην. Sed multo probabilior est coniectura Wil. omnibus Herculis lectoribus nota. Nihilominus ego paene vereor, ne v. 169 genuinam formam servaverit, cum nulla sit offensio in his

De Herc. v. 184—187.

Versum 184:

ἢ οὐ παῖδα τὸν ἐμόν, ὃν σὺ φῂς εἶναι δοκεῖν,

quem Herwerdenus damnavit, infimam finxisse barbariem adnotavit Wil. A. p. 205 et 206. Sed difficillimum est de antiquitate huius versus iudicare, cum ex eadem fabrica orti videantur v. 185—187, quos semper molestissime tulerunt interpretes, cf. Hartungi editionem p. 166 et Wecklinianam adnotationem ad vocabula: Δίρφυν Ἀβαντίδα (v. 185) pertinentem.

Idem enim accidit v. 183 quod supra v. 151, cum et illic et hic quaestio oratoria (ῥητορική), quae ipsa responsum secum fert, amplificatori Euripidis egregiam occasionem praebuerit longius exspatiandi. Sed nostro loco multo molestior est falsarius quam illic, quoniam ab Herculis defensione aberravit ad Lyci maledictionem, quae sententiarum cursum misere distrahit. Nam statim post Herculis laudes initium alterius partis, quae est de sagittariorum arte et virtutibus, statuendum est. Sed inspiciamus ipsos versus, qui hac ratione — lenissimas tantum mutationes accepimus — traditi sunt:

Δίρφυν δ' ἐρωτῶν ἥ σ' ἔθρεψ' Ἀβαντίδα
οὐκ ἄν σ' ἐπαινέσειεν· οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου
ἐσθλόν τι δράσας μάρτυρ' ἂν λάβοις πάτραν.

In v. 185 Laurentianus habet δίρφην pro δίρφυν, quem montem Euboeae sine dubio recte restituerunt editores. Nam certissimum est Δίρφυν, montem Euboeae, opponi ab auctore Φολόῃ, monti Arcadiae, qui appellatur in v. 182, praesertim cum verisimile sit inelegantem v. 185 structuram esse ineptam imitationem bonae illius constructionis, quae coniungit v. 182 cum v. 183 ἐπελθὼν — ἐροῦ. Lectio autem, quae exstat in codice Schenkliano: νύμφην τ' (νυμ m_2 in ras.), inutili

---

verbis: χρῄζω λιπέσθαι τῶν δεδραμένων δίκην, cf. Herc. v. 734 et 756: v. 168 sine dubio gravissime corruptus est.

debetur coniecturae. In eodem versu (185) Wecklinius et Wil. traditum τ' servare malint, quia nonnulla ante v. 185 (ex Wil. sententia duos versus) excidisse arbitrantur. Hartungus autem pro ἐρωτῶν conicit ponendum esse Ἐρέτρια vel Ἐρετρίας. Mihi neutra sententia probabilis est: sed de structura ἀνακολούθῳ, quam interpretes invenerunt in participio ἐρωτῶν, consentio cum Hartungo, qui recte contendit tale ἀνακόλουθον intolerabile esse. Neque autem auctor versuum ipse de structura ἀνακολούθῳ videtur cogitasse: immo eam sententiam exprimere voluit, quam Hartungus postulat explicans quasi haec scripta sint: Δίρφυς δ' ἐρωτωμένη οὐκ ἄν σ' ἐπαινέσειεν. Fortasse enim hac ratione interpretari debebimus: 'Quicunque interrogat Δίρφυν, non te laudabit'. Quamquam haud ignoro hominem Atticum ad hunc sensum significandum articulum participio additurum aut scripturum fuisse: ἐρωτῶν τις. Sed decet falsarium has quisquilias grammaticas neglegere. In v. 186 mihi displicet adverbium ὅπου, nostrae sententiae multo aptius esset adverbium temporis, ex. gr. ὅτε, quamvis ὅπου etiam in bona Graecitate interdum 'ansam quasi significet, qua quis velut manu adhibita possit tamquam via et ratione uti ad exsequendum consilium' (Ellendti Lex. Sophocl. II. p. 332). Sed hic molestum est ὅπου, quoniam de certo loco agitur, de patria Lyci, quae earum tantum rerum testis esse potest, quas ipsa vidit, non earum, quae nescio ubi terrarum sunt gestae, cf. Rhes. v. 620, ubi recte usurpatum est: οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπου [1]).

---

1) Anacoluthon illud, quod ex interpretum sententia inest in verbis: ἐρωτῶν ..... ἐπαινέσειεν vix removeri potest coniectura Reiskiana: ἐρωτῶντ' et ex Scylla incideremus in Charybdin, si — non falso sed durissime — haec scriberemus: Δίρφυς δ' ἐρωτῶντ', ἥ σ' ἔθρεψ', Ἀβαντίδος, οὐκ ἄν σ' ἐπαινέσειεν. Ceterum ἀνακόλουθος illa structura nonnunquam invenitur in versibus suspectis et emendandis, quamquam nemo negabit satis magnam fuisse licentiam Graecorum in participiis adhibendis, ut ex. gr. in eis enuntiatis, ubi verbum impersonale (quod dicitur) participium regit (cf. Hippol. v. 22—23, ubi falso credit orationem claudicare Wheelerus l. l. p. 42—43, ut elucet ex exemplo sanissimo et certissimo, Cycl. v. 329—331), ut praeterea in eis exemplis, ubi pro accusativo, quem verbum regens postulat, dativum

De Herc. v. 200—203.

Quae Amphitruo per novem versus (195—203) exponit ad sagittariorum artem defendendam plura sunt, quam quae

---

participii habemus (cf. Elmslei ad Med. v. 56 adnotationem et N. Eur. Stud. I. p. 24 et de structura contraria Elmslei ad Heracl. not. p. 116). Multo autem audaciora sunt talia, qualia exstant in Palam. fr. 583: πάλαι δή σ' ἐξερωτῆσαι θέλων σχολή μ' ἀπεῖργε et in fr. inc. 1065, 3, ubi ex Meineki coniectura legitur: λαβὼν δὲ πεῖραν μεταμέλεια λαμβάνει: sed satis dubius est hic locus. Iam dudum offenderunt viri docti in Hec. v. 970—971: ὅτῳ γάρ ὤφθην εὐτυχοῦσ', αἰδώς μ' ἔχει ἐν τῷδε πότμῳ τυγχάνουσ' ἵν' εἰμὶ νῦν. Duritiam structurae iam K. removere studuit ponens v. 971 post v. 972, Porsonus maluit delere totum versum. N. autem (Eur. St. I. p. 19—20) delet haec verba: τυγχάνουσ' ἵν' εἰμὶ νῦν, κοὐκ ἂν δυναίμην, et recte hoc loco interpolatoris vestigia cognoscit. Sed omnes tres versus 970—972, cum nihil novi contineant, molestissimi sunt: nam αἰδώς μ' ἔχει repetit verbum αἰσχύνομαι (968) et v. 971 plane idem dicit, quod in v. 969 expressum est his verbis: ἐν τοιοῖσδε κειμένη κακοῖς. Denique contendo contra Hirzelium (l. l. p. 57) intolerabile esse βλέπειν in octo versibus ter usurpatum. Ne hoc quidem placere potest, quod in v. 968 προσβλέπειν ἐναντίον et in v. 975 βλέπειν ἐναντίον exstat. Deleo ergo v. 970—972, puto autem aut in v. 968 aut in v. 975 scribendum esse pro ἐναντίον — ὀρθαῖς κόραις, cf. Iph. A. v. 851 et Soph. Oed. R. v. 1385. — Sed huic Hecubae loco adici possunt alii σολοικισμοί, qui aut librariorum neglegentiae aut falsariorum temeritati debentur. Ut mihi persuadere non possum genuinam esse lectionem, quae tradita est in In. fr. 415, 3 in certissimis fontibus: καὶ πρὸς ἄνδρ' εἰπὼν ἕνα πύθοιντ' ἂν ἀστοὶ πάντες ἃ κρύπτειν χρεών: sed coniectura probabilis nondum inventa videtur. — Certissime autem falsa est haec structura, quam habemus in Heracl. v. 39 sq.: δυοῖν γερόντοιν δὲ στρατηγεῖται φυγή . . ἐγὼ μὲν . . καλχαίνων κτλ. Iam Hirzelius (l. l. p. 88) iudicavit v. 39 desiderari posse: mihi nunquam dubium fuit, quin quam celerrime expellendus sit ex Euripide. Est enim luce clarius interpolatorem imitatum esse v. 653: δυοῖν γερόντοιν οὐ καλῶς ἀγωνιεῖ. Consentio autem de hoc versu cum Kl. (p. 22). — Sed optime iam Hirzelius (p. 69—70) proscripsit Andr. v. 668—677, ubi invenitur (668—669) haec prodigiosa constructio: εἰ σὺ παῖδα σὴν δούς τῳ πολιτῶν, εἶτ' ἔπασχε τοιάδε. Tamen idem vir doctus falsum protulit iudicium de nostro Herculis

sapientis auctoris temperantiae conveniant. Quod iam dudum animadvertit Zirndorferus, qui fabulae nostrae tempus definire studuit in notissimo libello: 'De chronologia fabularum Euripidearum' (p. 60). Sed cum Zirndorfero, quamvis non omnia comprobare possim, quae ex nostris versibus efficere voluit, nunc certare supersedebo (cf. Fixi edit. vol. I p. XI): sine metu meam sententiam edicam. Omnia enim, quae sine offensione hoc loco ad τοξότου ἔπαινον (cf. Schol. Eur. vol. IV p. 218) conferri possunt, apte et concinne continentur v. 195—199, quae declamationis pars optime terminatur versu vere Euripideo:

τυφλοῖς ὁρῶντας οὐτάσας τοξεύμασι.

Sed ipse Amphitruo laudis suae sententiam refutasset et imminuisset et quod adversarius sagittariis crimini dederat, sua oratione probasset, si v. 200—203 quinque praecedentibus adiecisset. Nam ignaviae, non virtutis laudes auxit, qui eam sententiam, quam poeta ἐν παρόδῳ tantum, ut ita dicam, expresserat vel, ut rectius loquar, significaverat in v. 198 ἑκὰς δ' ἀφεστὼς πολεμίους ἀμύνεται, repetere ausus est non solum in v. 200 τὸ σῶμά τ' οὐ δίδωσι τοῖς ἐναντίοις, sed etiam, ne quis dubitaret de vera sagittariorum ignavia, in v. 201 ἐν εὐφυλάκτῳ δ' ἐστίν. Neque autem minus quam haec verba abhorret ab fine oratoris vel poetae ea sententia, quae finem interpolationis facit. Nihilominus ne quis mihi hoc obiciat, non reticebo Graecitatem nostrae interpolationis tam bonam esse, ut hi quattuor versus aut sumpti videantur ex perdita fabula Euripidea aut certe numerandi in 'antiquissimis falsariorum emblematis'. Neque enim hoc premendum est argu-

---

versu, unde haec adnotatio egressa est. Nam si huic versui ἀνακόλουθος illa structura vere inest, hoc exemplum minime facilius ferre potest, quam illud ex Andromache sumptum, cum et hic et illic non modo nominativus participii cum eo verbo, quod enuntiatum regit, iusto modo non cohaereat, sed etiam insolenter ex accusativo ad participium illud pertinente nominativus suppleri debeat, qui quamquam pronomine non designatur, tamen in superiore enuntiato subiecti munere fungatur. — Extremo loco commemoro Hel. v. 287—289, quorum tradita forma similem praebet soloecismum (cf. Hirzel. l. l.): quos corruptos esse inter viros doctos satis constat.

mentum, quod ἐκ τύχης ὡρμισμένους — nunc Wil. ex antiqua emendatione, cf. ed. Barnes. vol. III p. 597, recte scribit ὡρμισμένον — non sine audacia dicitur. Nam haec dictio, quamquam exemplis defendi non potest, quoniam fabulae nostrae v. 1094 ναῦς ὅπως ὡρμισμένος, cf. Ar. Thesm. 1106, plane aliter se habet, tamen a sermonis Graeci indole vix abhorrere videtur [1]).

De Herc. v. 287—289.

Megarae orationem (275—311), quae nunc satis longa est, olim multo breviorem fuisse mihi certissimum est. Tamen quae usque ad v. 286 tradita sunt, gravioribus offensionibus carent. Sed in sequentibus orationis partibus tantopere saeviisse videtur furor interpolatorum, ut vel caecus lector vestigia falsariorum invenire debeat. Et v. 287 quidem iam N. suspectus fuit neque autem videre possum, qua de causa hunc unum versum damnare velit vir doctissimus. Sed primum nobis disputandum erit de v. 288 et primo quidem loco de vocabulo δόκησις, cui Euripides cum ceteris bonae Graecitatis auctoribus eandem vim tribuit, quae inest Latino vocabulo 'opinio', cf. Hesychi explicationem vol. I p. 526: τὸ μὴ ὂν νομιζόμενον, οἷον φαντασία. Utile autem erit singulos locos Euripideos, ubi δόκησις invenitur, inspicere. Plane congruit δόκησις cum Latinorum opinione in Hel. v. 35—36: καὶ δοκεῖ μ' ἔχειν, κενὴν δόκησιν, οὐκ ἔχων. Sed iam supra probavimus sententiam Kl., qui damnat haec verba, cum ne Euripides quidem idem ter dicere soleat. In eiusdem fabu-

1) Explicata est haec dictio in adnotatione Koechliana ad difficillimos Iph. T. v. 907—908 scripta. — Eadem de causa atque Herc. v. 200—203 certissime damnandi sunt Bacch. v. 333—336, quos recte in suspicionem vocaverunt N. et Bernhardy. Nam ipse Euripides finem fabulae suae et mores Cadmi senis irrisisset, si ei talia verba — quae vix quisquam sine ira et indignatione hoc loco legere possit — attribuisset. Sed debentur hi versus sine dubio malignitati comici nescio cuius.

lae v. 118: σκοπεῖτε μὴ δόκησιν εἴχετ' ἐκ θεῶν vox δόκησις idem fere describit, quod εἴδωλον in v. 34: v. 121 οὕτω δοκεῖτε τὴν δόκησιν (= opinionem) ἀσφαλῆ una cum sequente damnaverunt Ribbeckius et Czwalina. In Heracl. v. 395 σκοπεῖ, δόκησιν δὴ τόδ' ἂν λέγοιμί σοι explicabimus δόκησιν 'coniecturam'. Certum autem est insiticios esse eiusdem fabulae v. 745—747 [1]: ἔστιν δ' ἐν ὄλβῳ καὶ τόδ' οὐκ ὀρθῶς ἔχον, εὐψυχίας δόκησις· οἰόμεσθα γὰρ τὸν εὐτυχοῦντα πάντ' ἐπίστασθαι καλῶς. Si primam huius sententiae partem respiciemus, δόκησις vertemus 'opinio', si alteram partem, melius 'speciem' interpretabimur. Elucet autem hos versus neque per se bonum sensum habere neque cum eis quae praecedunt satis cohaerere. Compilati vel potius consuti sunt ex frustulis Euripideis ab interpolatore, qui studium philosophiae amabat, cf. fr. inc. 1006 τὸν εὐτυχοῦντα καὶ φρονεῖν νομίζομεν. In Ion. v. 1602 ἵν' ἡ δόκησις Ξοῦθον ἡδέως ἔχῃ, qui versus prope accedit ad Herc. v. 288, δόκησις nihil aliud est quam opinio. In Or. v. 636 μή νυν πέραινε τὴν δόκησιν significat δόκησις eam opinionem, quam homo acturus aliquid sequitur, h. e. consilium, ut Weilius adnotat. Aliter hoc vocabulum se habet in Andr. v. 696: ἀλλ' ὁ στρατηγὸς τὴν δόκησιν ἄρνυται. Opponit enim poeta militibus gregariis, qui sine laudis specie labores pugnae ferre debent, imperatorem, qui δόκησιν rerum gestarum reportat. Scholiasta autem haud ita accurate δόκησιν interpretatur δόξαν, vol. IV Dind. p. 179 λαμβάνει, κομίζεται τῆς νίκης τὴν δόξαν. Restat autem nobis ex integrarum fabularum corpore unum exemplum, quod exstat in El. v. 381: οὔτ' αὖ δοκήσει δωμάτων ὠγκωμένος. Quae verba Weilius et Fixius interpretantur: 'neque gentis nobilitate elatus, i. e. clarus': accuratius autem nos explicabimus: 'specie vel splendore domus'. Nam in Euripide omnino nobis cavendum est, ne δόκησιν commodius quam rectius vertamus 'claritatem' vel 'gloriam'. Cum eis exemplis, quae adhuc tractavimus, bene congruunt tria exempla,

---

1) Satis mirum est, quod hanc interpolationem recte invenit I. I. Oeri, qui tot res incredibiles somniavit in novissimo suo libello: Die grosse Responsion sq. (p. 35).

quae in fragmentis inveniuntur: Andromed. fr. 130 γένοιτο τἂν πόλλ', ὧν δόκησις οὐκ ἔνι, Antig. fr. 167 ἡ γὰρ δόκησις πατράσι παῖδας εἰκέναι (quamquam hoc loco corruptum esse δόκησις putat N.), Aug. fr. 279 ἡ δόκησις ἀνθρώποις κακόν. Praeterea non abhorret δόκησις ab usu Euripideo in Ixionis fragmento, quod N. inter ἀδέσποτα enumerat p. 651, mihi autem cum Welckero (Gr. Trag. II p. 750) et cum Fixio valde sapere videtur ingenium sapientis nostri poetae: τοῦ μὲν δικαίου τὴν δόκησιν ἄρνυσο, τὰ δ' ἔργα τοῦ πᾶν δρῶντος, ἔνθα κερδανεῖς.

Sed ut ad Herculem redeamus, vidimus inter duodecim locos Euripideos, ubi δόκησις adhibetur, quattuor esse aut spurios aut corruptos. Quibus adnumerandus est sine dubio noster versus 288 σὲ μὲν δόκησις ἔλαβεν εὐκλεὴς δορός, quem modo contuli cum Ion. v. 1602. Est autem luce clarius ea quae tradita sunt verba magis de insano quodam sene, ut de temeritate Iolai (cf. Heracl. v. 740 sq.), dici posse, quam de cauta cunctatione nostri Amphitruonis. Adde quod, etiamsi δόκησις idem esset quod gloria (δόξα), utique scribendum erat: σὺ μὲν δόκησιν ἔλαβες εὐκλεᾶ δορός. Sed duo fecit vitia auctor huius versus. Primum enim ex sententiarum nexu apparet illum hominem vocabulo δόκησις, in quo significationem speciei et opinionis, quae expressis verbis aut tacite verae rerum naturae opponitur, praevalere exempla nostra docuerunt, veram gloriam notare in animo habuisse. Deinde falsum est illud quod Hirzelius (l. l. p. 58 n. 1) audacter contendit: 'recte dici et ἔχει τις εὔκλειαν et εὔκλεια ἔχει τινά'. Nam is, qui bona fama ornatus est, apud Euripidem semper ἔχει, non ἔχεται excepto hoc uno Herculis loco, cui adicere voluit desperatum Andromachae locum (v. 321—323) Hirzelius, dum conicit in v. 322 scribendum esse: τοὺς (relativum) δ' ὑπὸ ψευδῶν ἔχει (sc. εὔκλεια). Inspicias hos locos, ubi Euripides de bona fama rectam structuram — quam 'personalem' dicere possis — usurpavit: Andr. 800. Hec. 489. 1225. Hel. 841. El. 1084. Herc. 157. Suppl. 315. Hippol. 432. Iph. A. 1606. Iph. T. 12. Ion. 1588. Med. 415. 540. Or. 1151. Phoen. 1314. Andromed. fr. 147. Antiop. fr. 219, 4. Arch. fr. 240, 2 et 244, 2. Dan. fr. 328, 4. Er. fr.

362, 33. Hipp. fr. 449, 1. Rhad. fr. 660, 10. Temenid. fr. 739, 4. inc. fab. fr. 849, 1. Sed etiam ubi de mala agitur fama vel de simili notione, multo saepius haec simplicior invenitur structura quam inversa illa. Cuius usus haec collegi exempla Euripidea: Alc. 959. Andr. 244. 877. Hel. 66. 251[1]). 846. 1506—1509. Herc. 292 (de quo infra disputabitur). Iph. T. 676. Ion. 395. 593. Med. 218 (?). Or. 828—830. inc. fab. fr. 1039, 8. Nihilominus nemo offendetur illa inversa constructione, ubi dicitur de rebus malis, ut de mala fama[2]) aut de rebus dubiis, quae facile mala procreent, ut de cupiditatibus. Confer autem haec exempla Euripidea: Ion. 572. 1602. Or. 101. 1255. Tr. v. 26, ubi bene adhibetur haec structura, quamvis ipse versus cum sequente certissime sit spurius, Kl. p. 48—49. Tr. v. 270 (sed exstat contraria structura ib. v. 272 et Hel. 1286). Phoen. 622. Agmen exemplorum claudat El. v. 20, ubi, quamquam de bona re agitur, tamen inversa constructio tradita est. Sed puto probandam esse coniecturam F. W. Schmidti, qui scribit:

ταύτην ἐπειδὴ θαλερὸς ἧχ' (pro εἶχ') ἥβης χρόνος.

Sed extremo huius capitis loco nobis disputandum erit de eo inversae constructionis exemplo, quod ex coniectura Hirzeliana exstat in Andr. v. 322. Ego enim pro certo duco v. 321—323, quibus iam multi viri docti frustra operam dederunt, ut Dobraeus, N. Eur. St. II p. 100—101, Hirzelius l. l., Wecklinius Stud. p. 326, ab ipso Euripide plane esse alienos. Ficti autem videntur aetate, quae longo temporis intervallo distat a temporibus Euripideis, ex scholiorum v. 319—320 interpretatione, quae fortasse manavit ex insertis illis versibus (330—332),

1) Ibid. v. 271—272 καὶ τοῦτο μεῖζον τῆς ἀληθείας κακόν, ὅστις τὰ μὴ προσόντα κέκτηται κακά, ubi τὰ μὴ προσόντα κακά significare debent iniustam infamiam, mihi propter hanc contortam breviloquentiam satis suspecti sunt, cf. Iph. T. 676, ubi simili cum audacia, tamen minus moleste legimus haec: καὶ δειλίαν·γὰρ καὶ κάκην κεκτήσομαι et Med. v. 218 δύσκλειαν ἐκτήσαντο καὶ ῥᾳθυμίαν, sed videas, quae Prinzius bene adnotavit de vocabulo δύσκλειαν.

2) Duo tantum exempla reperiuntur in toto Euripide: Med. v. 420 et El. v. 1013—1014, quos cum tribus qui secuntur versibus damnavit Steinbergius, de interpol. Eur. Electrae p. 17 sq.

qui Menandrei dicuntur quique optimo iure ex Euripide expulsi sunt a Dobraeo, atque ex Pelei oratione, e v. 693—705, ut ex eis, quas nos habemus, scholiorum reliquiis elucet. Neque vero deest nostris versibus parva verborum similitudo cum Menandreis illis (quamquam ne hi quidem integri sunt, cum v. 332, ut nunc verba se habent, ineptissimus sit), quoniam φρονεῖν δοκεῖν e v. 330 (οἱ δοκοῦντες εὖ φρονεῖν) et πλήν e v. 332 in nostram interpolationem pervenit. Sed ut ad graviora argumenta transeamus, turbatur sententiarum ordo his versibus, quamvis prior pars, quae τοῖς οὐδὲν γεγῶσι eos opponit, qui propter veram gloriam beati sunt existimandi, forsitan ferri possit. Intolerabilis autem est repetitio eorum, qui falsa gloria sunt ornati, ad quos moleste relabitur altera pars interpolationis. Et quis non sentiat, totum sermonis colorem, vividam Andromachae eloquentiam, quae violenter vituperet et despiciat immeritam Menelai gloriolam, misere corrumpi et deleri hoc ieiuno additamento? De genuina autem huius interpolationis forma ego cum viris doctis minime certabo. Recte se habere coniecturam Hirzelianam non est verisimile, abhorrere autem ab usu Euripideo certum est. Scholia structuram inauditam, quae tradita est, ἐλλειπτικῶς sibi explicant et plane quidem, ut puto, ex falsarii ipsius sententia. Nam saepissime et antiquissimi et posteriores interpolatores Euripidis rerum grammaticarum ignorantia idem fecerunt, quod illi inepti Thucydidis imitatores, quos Cicero acerrime perstrinxit his verbis (orat. 9, 32): 'Cum mutila quaedam et hiantia locuti sunt, quae vel sine magistro facere potuerunt, germanos se putant esse Thucydidas'[1]).

---

1) De tota Andromachae oratione iudicare difficillimum est. Consentio autem cum N. (Eur. Stud. II p. 101) traditam v. 329 formam non esse scriptam ab Euripide. Sed malim corrigere hunc versum, cuius altera pars non tam corrupta quam consulto mutata videtur ab histrione quodam, qui inani verborum sonitu delectatus est (cf. Didymi sententiam, quam scholia tradunt), quam cum N. delere. Puto autem ita fere scripsisse Euripidem: οὔτ' οὖν σὲ Τροίας οὔτε σῆς στρατηγίας, cum hoc modo bene repetat et breviter colligat sententiam primae orationis partis ille versus, quo haec pars terminatur. Versum

De Herc. v. 290—294.

Pergamus de Megarae oratione, unde digressa est disputatio nostra, disserere. Patefaciamus ergo eas difficultates, quae latent in v. 290—294. Atque primum quidem displicet idem adiectivum (εὐκλεὴς) eodem versus loco in v. 288 et in v. 290 usurpatum: quod pauperioris et miserioris ingenii esse quam Euripidis mihi certum est[1]). Gravissimum autem et, quascunque emendationes et interpretationes temptant viri docti, insanabile vitium exstat in vocabulo ἀμαρτύρητος, quod, ut Matthiaeus recte explicat, significat id, quod nullis testibus demonstratum est. Nam artificia eorum, qui cum Pflugkio et Hartungo (edit. p. 171) contendunt, ἀμαρτύρητον esse, 'ad quod evincendum testibus non opus' sit, cf. edit. Barnes. vol. III p. 598, nostro iure neglegemus. Accidit autem sine dubio auctori huius versus idem, quod rusticis fieri videmus hominibus, dum sermonem urbanum adhibere conantur, cum appareat v. 290 plane contrariam continere sententiam atque is qui versum fecit voluit. Hic enim in animo habuit idem dicere, quod Madvigus, qui Adv. Cr. I p. 246 pro εὐκλεής scribendum proposuit εὔδηλος, quod Herwerdenus, qui sine ulla probabilitate coniecit: οὑμὸς δ' ἀμαρτύρητος οὐκ ἔστιν πόσις, quod alii aliis coniecturis expresserunt. Nos igitur permanebimus in tradita lectione, prae-

333, qui similitudinem quandam habet cum Herc. v. 204—205, recte damnavit Wil. A. p. 190, n. 3. Sequentes vero versus tam gravibus laborant vitiis, ut ante v. 338 vix habeas, ubi stare possis. Ceterum idem, quod hic tractat Andromacha, primo loco minatus erat Menelaus (v. 315).

1) Cf. quae de similibus offendiculis scripsit Hirzelius p. 76—77, qui quodammodo secum ipse certans longe aliter iudicavit p. 57, ubi nititur exemplis praeter unum (Med. 775 et 780 αἰτήσομαι) suspectis et corruptis. Exemplum tolerabile invenitur in Hippol. v. 1245 et 1248 οὐ κάτοιδ', cum satis apta sit haec repetitio moribus nuntii. Locum corruptum huius generis indagasse sibi videtur Bartholdius in Hippol. v. 73 et 76, ubi alterum ἀκήρατον in suspicionem vocat.

sertim cum vocabulum ἀμαρτύρητος praeter hunc locum in bona Graecitate non inveniatur. Et quid proficeremus hoc uno versu emendato, cum sententia totius loci sit ineptissima? Nam frustra quaeres, cur omnino haec omnia de liberis Herculis dicat Megara. An fieri poterit, ut infantes illi, pueri parvuli, morte sua infamiam (δόξαν κακήν) consequantur? Sed ne quis me erroris incuset, nova hic nobis occurrit difficultas. Poeta enim v. 284—286 de turpi morte dixerat, quam Lycus non solum liberis sed etiam Megarae et Amphitruoni minatus est. His autem versibus (v. 290—294) subito agitur non de turpiter morituris, sed de turpiter servandis liberis. Quas sententias inter se non congruere vix opus erit admonere. Videtur autem is, qui nostros versus Herculi inseruit, condicionem horum infantium, qui crudelitate Lyci mortem subituri sint, confudisse et contaminasse cum condicione aliarum personarum tragicarum, ut Macariae Heraclidarum (v. 500 sq.) vel Menoecei Phoenissarum (v. 999 sq.), qui ultro parati sint mori pro patriae vel familiae salute. Itaque etiam statum Megarae commiscuit ex. gr. cum statu Erechthei, qui iussu oraculi filiae vitam patriae largitur, cf. fr. 363:

ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημὶ μᾶλλον τοῦ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς[1]).

Utile autem erit cum Herculis loco componere eiusdem Erechthei verba, quae dicit de filiis adultis in pugnam proficiscentibus, fr. 362, 28 sq.:

τὰ μητέρων δὲ δάκρυ' ὅταν πέμπῃ τέκνα
πολλοὺς ἐθήλυν' εἰς μάχην ὁρμωμένους.
μισῶ γυναῖκας αἵτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παῖδας εἵλοντ' ἢ (Matth.) παρῄνεσαν κακά.

Sed certissimum est tales sententias in Hercule nullum habere iustum locum. At ne temere hanc quaestionem absolvere videamur, nunc disputemus de v. 292—293. Miror enim, quod omnes editores Stephani coniecturam τοῖς αἰσχροῖσι praeferunt codicis lectioni ἐχθροῖσι, quae mihi cum Reiskio retinenda videtur, quoniam commendatur v. 285—286 ἐχθροῖσιν γέλων διδόντας. Interpretabimur autem: 'Laborant (dolent)

---

1) Hic versus nondum sanatus est.

rebus inimicis (vel per inimicos) pro liberis' aut — quod magis forsitan falsarii sensui respondeat — cum Reiskio: Luctantur adversis (casibus vel hominibus) ob liberos, ut eos servent. cf. Animadv. p. 165 sq. Nam ei errant, qui putant coniectura Stephaniana bonum huius sententiae conexum cum verbis quae praecedunt (imprimis cum δόξαν κακὴν λαβόντας) restitutum esse. Certe non ausim ex hoc versu, etiam si αἰσχροῖσι traditum esset, eam elicere explicationem, quam profert Wecklinius: 'Claros homines non modo suam ignominiam aegre ferre, sed etiam liberorum nomine dolere, si quid ab his turpiter ac flagitiose fiat'. Desinant ergo tandem aliquando viri docti interpolatoris ineptias coniectura Stephaniana obscurare. Nihil aliud voluit exprimere auctor huius versus nisi generalem sententiam de eis laboribus, quos boni parentes pro liberis subire debeant, cf. propter similitudinem sensus Iph. A. 917—918:

δεινὸν τὸ τίκτειν καὶ φέρει φίλτρον μέγα,
πᾶσίν τε κοινὸν ὥσθ' ὑπερκάμνειν τέκνων.

Neque autem haec generalis sententia nostro loco mira esse potest eis qui haud ignorant, quantopere vanissimae loquacitati indulgeant interpolatores Euripidei (cf. ex. gr. v. 629 sq. a Wheelero p. 66 sq. optimo iure damnatos, qui ab eodem homine facti videntur, a quo noster locus perturbatus est). Sed ne v. 294 quidem, quamquam primo obtutu ceteris sanior videtur, offensione caret, cum non modo satis ineleganter dicta sint verba: ἐμοί τε μίμημ' ἀνδρὸς οὐκ ἀπωστέον, sed etiam μίμημα vocabulum falso usurpatum sit. Nam μίμημα, quod apud Aeschylum in fr. 354 a Polluce servato, apud Sophoclem nusquam, apud Euripidem saepius invenitur, non tam actionem imitandi, quam interpretationem v. 294 postulat, quam effigiem vel similitudinem significat, quae imitatione facta est. Sed ut ad finem huius capitis veniamus, quid putabimus falsarium nostrum commovisse, ut octo versus (287—294) Euripidi supponeret? Primum nisi fallor interpolator enarrare studebat longiore expositione et argumentatione versus 284—286, quasi per se minus intellegerentur, imprimis alteram eorum partem. Deinde occupare voluit refutationem verborum Amphitruonis:

v. 316 οὔτοι τὸ δειλὸν οὐδὲ τοῦ βίου πόθος
θανεῖν ἐρύκει μ', ἀλλὰ παιδὶ βούλομαι
σῶσαι τέκν'[1]).

De Herc. v. 298—301.

Eis versibus, quos nunc tractaturi sumus, bene praefigi potest egregia Wil. sententia, qui An. p. 206 sq., ubi familiam quandam interpolationum composuit, demonstravit non modo sapientibus sed etiam desipientibus multa esse communia. Idem enim 'σκαιὸς ἀνήρ', qui in Heraclidis (v. 455) clausulam Iolao unice dignam ἴτω suo additamento obscuravit quemque Vsenerus (Mus. Rh. XXIII p. 156—157) suo iure ex Euripide expulit, in Herc. v. 298 sq. videtur grassatus esse. An quis negabit Herc. v. 301, quamvis incerta sit genuina huius versus lectio, magnam habere similitudinem cum Heracl. v. 460? Sed primum nobis quaerendum est, num omnino

1) Simili modo haec verba Agamemnonis, quae exstant in Hec. v. 854—856:

εἴ πως φανείη γ' ὥστε σοί τ' ἔχειν καλῶς,
στρατῷ τε μὴ δόξαιμι Κασάνδρας χάριν
Θρῄκης ἄνακτι τόνδε βουλεῦσαι φόνον,

quaeque satis explicantur v. 120 sq. et v. 127 sq., insipido cuidam homuncioni longae interpolationis argumentum dederunt. Tempus enim est, ut removeamus ex Hecubae longa oratione (786—845), quae illis Agamemnonis verbis praemittitur quaeque compluribus locis ab impostoribus aucta est, v. 824—832, qui adhuc bonam Euripidis famam male obscuraverunt, cf. Weili ad v. 824 notam et Schlegeli, pertinacis poetae nostri obtrectatoris, sententiam in libro: Vorlesungen über dram. Kunst und Litter. vol. I p. 213. Sed v. 831 et 832, qui nimiam lasciviam prae se ferunt et molestissimam formam habent, iam Matthiaeus ausus est delere. Kviçala autem (Stud. zu Eur. II p. 79) suo iure eiecit ex Euripide mirum versum 827: ἡ φοιβάς, ἣν καλοῦσι Κασάνδραν Φρύγες. Nihil vero in hac tota de Cypride disputatione laudabile est, nisi auctoris modestia, qui primo versu vanitatem sui inventi lepide confitetur:

καὶ μὴν ἴσως μὲν τοῦ λόγου κενὸν τόδε.

Minime enim opus est cum N. (Eur. Stud. I p. 18) pro κενὸν scribere ξένον.

haec pars Megarae orationis, qua disputatur de Lyco precibus adeundo, necessaria et utilis possit existimari. Nos negamus, hos versus 298—301 et 302—306 finem, quem Megara assequi studet suis verbis, tangere vel adiuvare. Illa enim enuntiat quae vult v. 307 τόλμα μεθ' ἡμῶν θάνατον, cum et ipsa et Amphitruo de Lyci clementia iam dudum desperavissent, Amphitruonem autem nihil consoletur nisi haec una spes Herculem mox rediturum esse ex Orco. Quam spem futilem et vanam esse Megara dicit v. 295—297. Lycum vero Amphitruo sua declamatione non modo non deleniverat sed tanta affecerat ira, ut statim toti Herculis familiae mortem parari iuberet. Itaque absurdus fuisset poeta, si post v. 232—235 et post Lyci verba (238—251) Megaram de placando tyranno cogitantem et disputantem fecisset. Sed etiamsi Lyci verbis deleniendi recte hoc loco mentio facta esset, utique primi duo versus 298—299 sapienti poetae sufficere debebant. Certe v. 300—301, quibus de sapiente agitur inimico, nihil omnino faciunt ad sententiam. Quid ergo? verbum εἴκειν nonne pessime adhibitum est in hoc sententiarum nexu? poeta nonne multo aptius φεύγειν verbo, quod est in v. 299, verbum πείθειν opposuisset? Nihilominus ne quis falso me intellegat, conicio hos quattuor versus ab eodem versificatore Euripidi suppositos esse, ita quidem ut v. 299 et 300 fortasse ex Euripide ipso sumerentur, quoniam, si per se considerantur, bonum praebent sensum et offensionibus grammaticis carent. Ne v. 298 quidem vituperari potest, tamen unam rem levioris momenti commemorabo. Invenitur enim verbum μαλθάσσω apud Euripidem hoc uno loco, forma μαλάσσω compluribus exstat locis[1]). Extremus nostrae inter-

---

1) Idem verbum restituendum videtur in fr. inc. 1064, 4, ubi traditum est ταράσσει. Nam v. 5 ex Gesneri vel Dobraei coniectura corrigendus est. Ceterum non inutile est adnotare Aeschylum solam formam μαλθάσσω adhibuisse, certe nunc in eius fabulis μαλάσσω non exstare. Sophocles autem semel tantum adhibuit μαλθάσσω — et paullo quidem alio sensu atque auctor nostri v. 298 — in Ant. v. 1194: τί γάρ σε μαλθάσσοιμ' ἄν, ὧν εἰς ὕστερον ψεῦσται φανούμεθ'. Huic enim verbo μαλθάσσω quasi scholion adscribere possis Herc. v. 100: κλέπτουσα μύθοις ἀθλίους κλοπὰς ὅμως.

polationis versus (301) et omnium longe difficillimus et in codice Laurentiano et in libro Schenkliano ita traditus est:

ῥᾷον γὰρ αἰδοῦς ὑπολαβὼν φίλ' ἂν τέμοις,

in utroque libro adnotatum est ad τέμοις verbum τελοῖς. Wil. in editione sua τέμοις servavit et arte coniunxit verba φίλ' ἂν τέμοις: quam dictionem conferre videtur cum talibus, quales sunt σπονδὰς τέμνειν (Hel. 1235) et φίλια τέμνειν (Suppl. 375). Nos non negabimus hanc explicationem non minus esse probabilem quam vulgatam interpretationem, qua misere quae cohaerent dirimuntur, quamquam olim putavimus, Stephani coniecturam τύχοις propter Heracl. v. 460 genuinam praebere lectionem. Sed quoniam incertissima est vera huius insani versus forma, omnibus coniecturis parcamus[1]).

De Herc. v. 302—306.

Versus 302—306 nullo modo conciliari posse cum quattuor qui antecedunt versibus vix opus est dicere. Apparet enim hos quinque versus ita esse scriptos, ut crederes Lycum

1) De Heracl. v. 456—460 ab Vsenero deletis, quos nostro loco, de quo modo disputavimus, simillimos esse unusquisque videt, falso iudicavit novorum Pythagoraeorum audacissimus, I. I. Oeri, qui l. l. p. 33—34 haec satis lepide commentus est: 'Mit dem Gedanken, dass Eurystheus gemäss seiner Thorheit sich am liebsten an dem alten Waffengenossen des Herakles vergreifen würde, motiviert Jolaos ganz richtig die Hoffnung, dass seine Auslieferung genügen werde, und auch die Schlusssentenz klingt ächt euripideisch'. Nos vehementer doleremus, si talia Euripidea essent. Neque autem I. I. Oeri nobis persuadebit, ut lapidosam interpolatoris sapientiam pro pane vere Euripideo consumamus et sine molestia concoquamus. Immo si contrarium diceretur atque in his versibus inest, sententiam vere Euripideam haberemus, ut in Beller. fr. 292 egregie opponitur ὁ σκαιὸς ἀνὴρ τῷ σοφῷ:

ἀεὶ γὰρ ἄνδρα σκαιὸν ἰσχυρὸν φύσει
ἧσσον δέδοικα τἀσθενοῦς τε καὶ σοφοῦ.

Nihilominus ipse puto falsarium v. 458 et 459 ex Euripide sibi compilasse. Sufficiet enim ad optimam sententiam restituendam pro ἔχθραν ponere κῆδος vel λόγους vel simile vocabulum.

non esse saevum et scaevum illum tyrannum v. 299 depictum, immo numerari in sapientibus inimicis (v. 300—301). Megara enim mittit fugam liberorum deprecari a tyranno, non quia de atrocis et saevi hominis misericordia desperaverit, ut ex illo ἥκιστα (299) concluditur, sed quia putat ne exsilio quidem liberos salutem invenire posse. Sed si quis putet v. 298—301 deletis nostros versus tolerari posse, is sibi ipse repetat, quae supra de sententia, quae Megarae orationi inesse existimanda est, disputavimus. Ipse quaeso componat hunc locum ἤδη δ' ἐσῆλθέ μ' κτλ. cum v. 70—72 et cum v. 82—85, ubi Megara duas tantum salutis vias, de quibus ipsa cogitaverat, commemorat, fugam clandestinam et amicorum Thebanorum auxilium. Sed singulas tractemus difficultates, quibus v. 302—306 laborant. De v. 302 adnotat Madvigus (Adv. Cr. I p. 246): 'soloecum esse optativum nudum in interrogando, quid fieri fortasse possit, scribendumque παραιτησαίμεθ' ἄν'. Gravior autem nobis oboritur quaestio in v. 304, ubi aegre desideratur dativus, qui ad περιβαλεῖν verbum pertineat. Quamquam ne hanc quidem rem nimis urgere volo, ne quis mihi obiciat Phoen. v. 189 et Iph. A. v. 934 [1]) aliosve locos, qui similem locutionis duritiam prae se ferre videntur. Praeterea dignitati poetae tragici non satis aptum est illud περιβαλεῖν σωτηρίαν. Nam περιβάλλειν et ἀμφιβάλλειν, si tropice dicuntur ab Euripide, adhibentur, ut verborum natura secum fert, de rebus malis exceptis hoc Herculis versu et Ion. v. 829, ubi τυραννίδα περιβαλεῖν, quoniam agitur de clandestina et iniusta tyrannidis vindicatione, multo elegantius se habet nostra dictione: σωτηρίαν περιβαλεῖν. Etiam v. 305 et 306 aperte interpolatoris vestigia impressa sunt. Rectissime enim Matthiaeus vidit utique ineptam et puerilem gnomologiam continere traditam horum versuum formam et suo iure vituperavit Hartungus Klotzium, quod tantam absurditatem quasi Euripideam servabat. Nihilominus improbo Matthiaei coniecturam scribentis φίλοις pro φίλοι et teneo asyndeton, quod falsarios amare

1) Est tamen, ut haud ignoro, aliquid discriminis inter hos locos et Herc. v. 304.

multa docent exempla. Puto autem in v. 306 ἓν ἦμαρ esse 'subiectum', quod dicunt grammatici. Sed etiamsi recte se haberet Matthiaei coniectura vel Elmslei mirum inventum, qui hos duos versus arte coniungens putat φίλοι esse vocativum ad chori senes adloquendos (Adn. in Medeam p. 172 n.), tamen haec una restaret offensio, quod illud proverbium vel sententia proverbialis, quae his versibus argumentum dedisse videtur (cf. Plaut. Mil. 740 sq.), non tam de fugientibus amicis, quam de communibus omnium hospitum vel amicorum moribus fatisque dicit. Certe eae sententiae Euripideae, quae de fugientibus et infelicibus amicis valent, longe aliter se habent, cf. Herc. v. 561 ἄφιλον τὸ δυστυχές. Med. v. 561 πένητα φεύγει πᾶς τις ἐκποδὼν φίλος. Phoen. v. 403 τὰ φίλων δ' οὐδέν, ἤν τι δυστυχῇς, in cuius versus scholio exstat hic versus simillimus ἀνδρὸς κακῶς πράσσοντος ἐκποδὼν φίλοι. Adde El. v. 605 ὦ τέκνον, οὐδεὶς δυστυχοῦντί σοι φίλος. Licet autem nobis conicere falsarium v. 305 et 306 ex comico poeta nescio quo sumpsisse, ita quidem ut ex iusto rerum et versuum nexu plane eriperentur. Accedit quod βλέμμα vox, quae apud Sophoclem nusquam, apud Aeschylum semel invenitur (in corruptissimo Toxot. fr. 238), ne in Euripide quidem praeter hunc locum exstat.

De Herc. v. 309—310.

Megarae oratio optime terminatur v. 311, qui ex egregia Porsoni coniectura recte scribitur: ὃ χρὴ γὰρ οὐδεὶς μὴ χρεὼν θήσει ποτέ. Sed miramur nostro iure, quod eandem de dira necessitate sententiam, quae inest extremo versui, expressam legimus duobus qui antecedunt versibus (309—310), praesertim cum eundem sensum iam in priore orationis parte (282—283) habeamus. Compluribus autem de causis nobis disputandum erit de v. 309—310, quorum pristina forma, sicut exstat in codice, mordicus tenenda est:

τὰς τῶν θεῶν γὰρ ὅστις ἐκμοχθεῖ τύχας,
πρόθυμός ἐστιν, ἡ προθυμία δ' ἄφρων.

Quamquam paene doleo, quod non possum probare elegan-

tissimam N. coniecturam, qui unus his versibus perspicuam structuram reddere studuit scribens: ἧδ' ἄφρων προθυμία, cf. Tr. v. 964—965: εἰ δὲ τῶν θεῶν κρατεῖν βούλει, τὸ χρῄζειν ἀμαθές ἐστί σοι τόδε. Sed structura in codice tradita dignissima est his versibus, quos ab Euripide non esse scriptos mihi certissimum est. Atque primum quidem, quamvis iudicium nostrum imprimis pendeat ex interpretatione verbi ἐκμοχθεῖν, agamus de adiectivo πρόθυμος, quod auctor tam nude et absolute hic posuit, ut omnino vanum esset et ineptum, nisi liceret conicere et πρόθυμος et προθυμία ex interpolatoris sensu vituperationem quandam continere et idem fere significare nostro loco quod τολμηρὸς et τόλμη. Sed et πρόθυμος et προθυμία apud Euripidem aut vocis mediae, quam dicunt grammatici, locum tenent aut laudabile aliquod studium notant. Ex eis autem locis, ubi haec vocabula in bonam partem interpretanda sunt, enumerare nobis liceat hos e tragicis sumptos: Soph. Aiac. v. 37. Aeschyl. Prometh. v. 345. Eur. Hec. 307. El. 395. Heracl. 410. Herc. 113. Iph. A. 1371. Iph. T. 1023. Ion. 1173. Med. 178. Tr. 355. Phoen. 1683. Ubi vero in malam partem usurpantur haec vocabula cum leni vituperatione, aut additur a poeta aliquod verbum (Soph. Trach. 669—670 προθυμίαν ἄδηλον = blinden Eifer. Eur. Or. 708 μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὰς ἄγαν προθυμίας. fr. inc. 1014, 2—3 τὰς θνητῶν δ' ἐγὼ χαίρειν κελεύω θεῶν ἄτερ προθυμίας) aut opponitur his vocabulis alia notio (Aeschyl. Ag. 1562 προθύμως μᾶλλον ἢ φίλως. Med. 485 πρόθυμος μᾶλλον ἢ σοφωτέρα). Invenerat autem auctor v. 309—310 adiectivum πρόθυμος in nostrae fabulae v. 325, qui paenultimus — id quod non est neglegendum — ex eis versibus est, quos Amphitruo Megarae respondet. Sed materiam et sententiam horum versuum sine dubio hausit falsarius ex eo Heraclidarum loco, quem interpretes bene comparant cum nostra interpolatione, ex Heracl. v. 615—617:

> μόρσιμα δ' οὔτι φυγεῖν θέμις,
> οὐ σοφίᾳ τις ἀπώσεται·
> ἀλλὰ μάταν ὁ πρόθυμος ἀεὶ πόνον ἕξει.

An putabimus casu esse factum, ut etiam in Heracl. v. 617 πρόθυμος absolute usurpatum sit? Nihilominus quis est qui

dubitet, quin recte et sine offensione adhibeatur in hoc versu πρόθυμος adiectivum? Nam unusquisque e v. 615 et 616 facile sibi supplebit τὰ μόρσιμα φυγεῖν et ἀπωθεῖσθαι, ut in Herc. v. 325 sine ulla difficultate suppletur πράσσειν: cuius usus plura congerere exempla opus non est. At in Herc. v. 310 frustra quaeres, quid ad πρόθυμος eliciatur ex praecedentibus vocabulis. Neque autem hac occasione data nobis licebit omittere alterum quoddam exemplum Euripideum (Iph. T. 909—911), ubi non modo πρόθυμος satis nude et audacter dicitur, sed etiam eadem tangitur sententia, quae Herc. v. 309—310 expressa est. Ei quidem, qui interpretari sciunt rationibus grammaticis, nihil desiderabunt in Iph. T. v. 910, cum quivis lector diligens ad ἦν δέ τις πρόθυμος ᾖ ultro suppleat ex verbis μέλειν τοῦδε ξὺν ἡμῖν infinitivum aliquem, ut πράσσειν vel simile verbum. Sed videmus hunc liberiorem adiectivi nostri usum neque ab antiquo codicis Palatini correctore neque ab editoribus, qui illum secuti sunt, satis intellegi, cf. edit. Barnes. vol. I p. 581. Quamobrem mirum non erit, quod interpolator ex huius generis locis sibi sumpsit insolentem vocabulorum πρόθυμος et προθυμία usum.

Neque vero minus quam propter πρόθυμος et προθυμία damnandi sunt v. 309 et 310 propter verbum ἐκμοχθεῖν. Nam inauditum sibi arripuit usum eorum verborum, quae cum ἐξ praepositione composita sunt, qui Euripidi supposuit v. 81 (ἐξευμαρίζεσθαι), v. 155 (ἐξαγωνίζεσθαι), v. 581 (ἐκπονήσω), nostrum locum. Errant enim, qui Matthiaeum sequentes ἐκμοχθεῖν (309) verbo ἐκπονεῖν (581) et ἐκπονεῖν verbo ἐκμοχθεῖν satis defendi putant, cum uterque versus sit spurius. Sed quamquam de v. 581 eiusque vicinis infra disputabitur, tamen utile erit et ἐκμοχθεῖν et ἐκπονεῖν, quoniam haec verba plane eandem vim habent, hoc loco tractare. Nam praesto nobis sunt multa utriusque verbi exempla (quae supra de verbo ἐξαγωνίζεσθαι disputantes plane desiderabamus) non tam in aliis auctoribus Graecis quam in ipso Euripide. Sufficiet autem, praesertim cum nemo adhuc, quantum ego scio, ex aliis scriptoribus Graecis exempla cum Herc. v. 309 et 581 congruentia attulerit, ex magna copia exemplorum Euripideorum veram verborum ἐκπονεῖν et ἐκμοχθεῖν significationem inda-

gare. Sumpsit enim, nisi fallor, auctor v. 309—310 verbum ἐκμοχθεῖν, quod nihil aliud est quam exantlare, perficere, elaborare ex nostrae fabulae v. 22, ubi rectissime dicitur: καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ἐξεμόχθησεν πόνους. Sed falsarius, dum parum accurate huic verbo ἐξεμόχθησεν magis superandi vel evincendi vim (quae a sensu v. 22 haud ita longe abest) quam perficiendi tribuit, in v. 309 ἐκμοχθεῖν idem esse voluit, quod in Heracl. v. 616 ἀπωθεῖσθαι significat. Recte autem adhibetur ἐκμοχθεῖν praeter Herc. v. 22 in eiusdem fabulae v. 1369 ἐκμοχθῶν βίου εὔκλειαν (elaborans vel comparans): eadem vis inest in ἐκμοχθεῖν in Suppl. v. 451: ὡς τῷ τυράννῳ πλείον' ἐκμοχθῇ βίον (quamquam hunc versum delevit K.) et in Tr. v. 873 οἵπερ γὰρ αὐτὴν ἐξεμόχθησαν δορί, ubi vertemus: 'qui eam (Helenam) hasta laboriose comparaverunt vel expugnaverunt': cave autem ne vertas: 'superaverunt'. In eiusdem fabulae v. 646 ταῦτ' ἐξεμόχθουν interpretabimur 'haec efficiebam' vel 'exercebam' sc. τὰ σώφρονα et similis est usus verbi ἐκπονεῖν in fr. inc. 901, 8. Iph. T. v. 84 et v. 1455, ubi ἐκμοχθεῖν coniunctum est cum πόνους, ut in Herc. v. 22, vix opus est commemorare, quoniam uterque locus a viris doctis in suspicionem vocatus est. Restat ex fabulis integris unus locus El. v. 307 αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους, ubi ἐκμοχθοῦσα sine offensione dicitur Electra vestem texens, quamvis multa inter ea, quae Electra hic loquitur, mihi suspectissima sint et vix Euripidea. In fragmentis Euripideis semel invenitur ἐκμοχθεῖν, in Dict. fr. 336, 5 ὅσοι τε δεσμοῖς ἐκμεμόχθηνται βροτῶν. Quem locum difficillimum, quamquam ne hic quidem Herc. v. 309 defendere potest, neglegere mihi non licebit. Vidi autem ex antiqua fragmentorum collectione (ed. Barnes. vol. II p. 442) eas quas mihi v. 5 movit dubitationes adiuvari a Bentleio, qui negat ἐκμεμόχθηνται esse bene Graecum. Et quamvis periculosum sit de fragmentis iudicare, tamen ausim conicere et v. 5 graviter esse corruptum et v. 7—8 pristino sententiarum nexu violenter esse privatos. Ego ne hoc quidem invenire possum, cur Dictys omnino dicat de eis hominibus, qui vinclis consumpti contabuerunt. An hoc δεσμοῖς referendum est ad fictam Persei mortem, quam nuntius Po-

lydecta auctore Danaae matri narraverat, cf. Hartungi Eur. Rest. vol. I p. 366 et Welckeri Gr. Tr. II p. 670? Utique suspectum est ἐκμεμόχθηνται. Nèque enim puto nudo verbo ἐκμοχθεῖν eandem vim tribui posse, quae latet in ἐκπράσσειν, cf. Hec. v. 515. Quamquam ipse Euripides de morte bene potuit dicere ἐκμοχθεῖν θάνατον (idem est ἐκπονεῖν θάνατον), ita ut significaret aut hominem emorientem aut eum, qui mortem alicuius perficeret. Quam bona vero et pura Euripidearum fabularum exemplaria Plutarchus, cui illud Dictyis fragmentum debetur, vel eius auctores adhibuerint, ex uno Erechth. fr. 362 elucet, quocum commiscuit Plutarchus fr. inc. 971.

Sed nunc agendum est de altero verbo ἐκπονεῖν [συνεκπονεῖν]. Explicant autem interpretes exceptis Hartungo et Herwerdeno, qui coniecturas proponunt, illud ἐκπονεῖν θάνατον, quod exstat in Herc. v. 581, duce Matthiaeo his verbis: 'In nece (liberorum) avertenda labores suscipere'. Sed ceteros locos Euripideos inspicientibus facile apparet verbo ἐκπονεῖν non magis quam ἐκμοχθεῖν avertendi vim obtrudi posse. Perspicue autem cognoscimus veram huius verbi significationem ex his locis: Hippol. 380—381 τὰ χρήστ' ἐπιστάμεσθα καὶ γιγνώσκομεν, οὐκ ἐκπονοῦμεν δ' et Phoen. v. 979 οὔκουν σὲ φράζειν εἰκὸς, ἐκπονεῖν δ' ἐμέ, ubi luculentissime notio perficiendi, elaborandi opponitur verbis ἐπίστασθαι, γιγνώσκειν, φράζειν. Et eundem vel simillimum nostri verbi usum habemus his locis: Hel. 735 [ibid. 1378 et 1406 συνεκπονεῖν]. Iph. A. 367 (si quidem quod valde est dubium recte traditur ἐκπονοῦσ'). [Iph. T. 1063 συνεκπονεῖν.]. Ion. 1040 [ibid. 850 συνεκπονεῖν absolute usurpatum est.]. Med. 241, cf. fr. inc. 901, 8. Or. 122. Phoen. 1648. Adde Temenid. fr. 729, 2, ubi exstat ἐκπονεῖν σωτηρίαν, quae locutio sola apta esset sententiae Herc. v. 581 (cf. Hartungi coniecturam) et Meleagr. fr. 529, 4, ubi ἐκπονεῖν σκληρὰς διαίτας idem est quod 'asperam degere (exercere) vitam'. [συνεκπονεῖν Andromed. fr. 132, 3]. Atque vix discrepant a prima elaborandi et efficiendi notione nonnulla alia exempla, ut quod dicitur de Achillis educatione Iph. A. v. 209 τὸν ἁ Θέτις τέκε καὶ Χείρων ἐξεπόνασεν, ut

in Hippol. v. 467, ubi ἐκπονεῖν λίαν βίον interpretabimur: 'vitam sibi nimis operose effingere vel elaborare', ut in eiusdem fabulae v. 632 πέπλοισιν ἐκπονεῖ, quod non falso possis vertere 'exornat', ut denique in fr. inc. 1068, 1 ἐκπονεῖν adhibetur de agro colendo. In Suppl. v. 319 ἐκπονεῖν absolute dictum ad belli pericula refertur, ut bene a Theseo v. 339 opponatur φεύγειν τὰ δεινά, neque minus recte in Or. v. 653 labor pugnandi, quem pro Menelao subierat Agamemnon, significatur verbis: σοὶ παρ' ἀσπίδ' ἐκπονῶν. In Ion. v. 1355 (τὴν τεκοῦσαν ἐκπόνει) et in Hel. v. 1514 (ἄλλης ἐκπόνει μνηστεύματα) ἐκπονεῖν idem fere est quod exquirere, sed sine offensione hunc usum derivabimus ex prima notione elaborandi. Sed in Ion. v. 375 εἰ τοὺς θεοὺς ἄκοντας ἐκπονήσομεν φράζειν, ἃ μὴ θέλουσιν cum structura verbi, quod coniunctum videmus cum accusativo et infinitivo, suspectissima est, tum totus locus est tam ineptus, ut sine dubio v. 374—377 interpolatori sint tribuendi, cf. notas Badhamianas. In extremo loco, qui nobis tractandus est, in Andr. v. 1052, certissimum est aliam explicationem ex rationibus grammaticis et ex usus Euripidei legibus non posse probari nisi quam scholiasta dedit interpretans ἐκπονεῖν· οἰκονομεῖν (vol. IV Dind. p. 200). Sed his omnibus locis examinatis hoc unum luce clarius fore spero ἐκμοχθεῖν τὰς τῶν θεῶν τύχας apud Euripidem nunquam idem valere, quod τῶν θεῶν κρατεῖν (Tr. 964) vel τῶν θεῶν ἀνάγκας ἰᾶσθαι (Dict. fr. 340, 6). Immo, qui usum Euripideum noverit, eodem modo intelleget ἐκμοχθεῖν τὰς τῶν θεῶν τύχας atque in Andr. v. 1268—1269 τὸ πεπρωμένον ἐκκομίζειν similesque dictiones. Apparet autem eum, qui fati necessitatem et casus a diis immissos perficere et perferre paratus sit, non stultum esse, ut Herc. v. 310 contendit, sed sapientem. Et haec quidem hactenus de verbis ἐκπονεῖν et ἐκμοχθεῖν. Hoc unum addo, quod verbum συνεκπονεῖν, quamvis non prorsus abhorreat ab genuina verbi ἐκπονεῖν notione, tamen solito audacius usurpatum videtur in Ion. v. 740. Sed coniectura Reiskii pro συνεκπονοῦσα κῶλον scribentis συνεποτρύνουσα nunc omnibus improbabilis est. Ego cogitavi de συνεκφέρουσα. Extremo autem huius capitis loco mihi commemorandum est aliud verbum, quod

eodem vitio laborat, quo illi Herculis versus 309 et 581, quodque exstat in Heracl. v. 495: ἐξαμηχανήσομεν. Hirzelius autem, qui egregie disputavit de v. 494—497, quos N. secutus damnavit, rectissime dixit haec (p. 38—39): 'Prodigiosum est ἐξαμηχανήσομεν verbum, si quid, ex linguae legibus certe non hoc significans, quod praecipiunt interpretes: 'se ex angustiis liberare'. Ansam autem praebuerunt falsario, qui hoc nobile verbum finxit, et adiectivum ἀμήχανος, quod invenitur in v. 464 et 472 et 487, et verbum ἀμηχανοῦμεν, quod exstat in v. 492[1]).

---

1) Disputaturus eram etiam de verbo συνεκκλέπτειν, quod satis audacter adhibetur in El. v. 364. Sed mihi melius visum est de El. v. 364—366, quamvis possint desiderari, nunc non diiudicare. Tamen pauca, quae satis certa sunt, adnotabo de Orestae oratione, quae hos versus sequitur. De qua optime meruit Wil. A. p. 190—193, qui veram Orestae declamationem sibi restituisse videtur. Sed aut omnino fallor aut genuina huius orationis forma nondum inventa est. Verum quidem est, quod Wil. dicit, v. 386—390, dum per se spectantur, nobis praebere fragmentum Euripide dignissimum. Nihilominus propter desperatam huius scaenae formam licet conicere hanc explicationem in pristino sententiarum ordine iustum habuisse locum. Longe autem aliter iudicandum est de v. 374—379 (nam v. 373 servari potest), quos nunquam ab Euripide hac qua nunc exstant forma scriptos esse mihi persuasum est. Quamobrem non opus est cum Wil. in v. 376 pro κακόν ponere κακά, cum multo graviores offensiones in his versibus lateant. An quis explicare audebit, ut unam rem tangam, haec verba: ἢ τοῖς ἔχουσι μηδέν; (v. 375)? Neque enim unquam probabo audacissimam Weili interpretationem haec scribentis: 'Suppléez: ἀρετὴν ἐνεῖναι κρινεῖ;' Spero autem multos viros doctos mihi libenter concessuros esse v. 376—379 nihil aliud continere nisi pannos quosdam Euripideos ab insipido falsario consutos. Ne v. 377—378 quidem meliores sunt quam simillimi versus Supplicum 850—852, quos ab illa fabula esse alienos recte vidit Wil.

De Herc. v. 497—513.

De extremis antecedentis declamationis versibus (495—496), qui molestissimam repetitionem et amplificationem continent, iam dudum recte iudicavit Dindorfius. Nam illud fortiter negandum est, quod Wil. A. p. 234 contendit, opus esse v. 495, ne oratio misere abrumpatur. An quis inveniret clausulam non modo magis tragicam sed etiam Megara vehementissimo motu animi concitata digniorem quam hunc versum:

ἄρηξον, ἐλθὲ καὶ σκιὰ (sis licet umbra) φάνηθί μοι.

Sed quae Dindorfium secuti de v. 495—496 iudicavimus, confirmantur quodammodo eis, quae de primo Amphitruonis versu mihi invenisse videor. Doleo autem quod hic quoque dissentio a Wil., qui primus vidit verba Amphitruonis non esse sana. Sed primum versum

σὺ μὲν τὰ νέρθεν εὐτρεπῆ ποιοῦ, γύναι

rationibus grammaticis cum Fixio ita vertemus: „Tu quidem, mulier, quae ad inferos pertinent, expedito.“ Frustra autem quaeres, quidnam Amphitruo Megaram iubeat εὐτρεπὲς ποιεῖσθαι. Nam τὰ νέρθεν, h. e. τὰ πρὸς τὸν θάνατον, plane iam parata sunt, ut ipsa dicit Megara v. 453:

ἕτοιμ' ἄγειν τὰ θύματ' εἰς Ἅιδου τάδε.

Quod iam dudum animadvertit Musgravius (edit. Barnes. vol. III p. 602), dum conicit scribendum esse εὐμενῆ ποιοῦ. Et certissimum est aut hanc coniecturam esse accipiendam aut totum versum esse delendum. Mihi quidem verisimile est talem versum magis placide disputantis vel irridentis esse quam vehementer acriterque orantis. Quamobrem pro certo paene duco, genuinam huius scaenae vim et violentiam rapidumque sermonis cursum interpolatoris artificiosis additamentis prorsus periisse. Ita enim poeta ipse, nisi fallor, rem instituerat, ut Amphitruo, postquam Megara v. 494 Herculis invocationem conclusit, statim inciperet Iovem orare atque obsecrare manus quassans:

ἐγὼ δέ σ', ὦ Ζεῦ, χεῖρ' ἐς οὐρανὸν δικὼν κτλ.

Elucet autem interpolatorem, quoniam hoc ἐγὼ δέ affectu vehementissimo plenum non habere videbatur, quo referendum esset, hanc bonam fraudis occasionem libenter sibi arripuisse. Idem fere accidit in Hippol. v. 500, quem N. et Hirzelius (p. 37) ex Euripide expulerunt. Paullo aliter res se habet in Bacch. v. 215, quem Baierus suo iure damnavit: ille enim falsarius etiam sequentem versum intruso δέ corrupit [1]).

Sed nunc dicendum est de Herc. v. 502, de quo acrius quam verius iudicavit Wil. Ego enim inter eos sum, qui hoc γάρ, quod haud ita premendum sit, intellegant et defendant: nam γάρ rectissime refertur ad μάτην vel, ut accuratius loquar, explicatur μάτην πονῶ versu sequente. Concedo tamen Wil. v. 502 suo loco non esse pernecessarium: nihilominus desperatae Amphitruonis menti quodammodo convenit. Denuo autem haeremus in v. 508—510. Neque enim video, quid lucremur speciosa Wecklini coniectura, qui διέπτατο ex v. 507 in v. 509 et ἀφείλετο e v. 509 in v. 507 transposuit. Primum enim inelegans horum versuum structura, quae Wecklini coniectura non removetur, lectorem valde offendit. Quamobrem Herwerdenus (Adnot. crit. et exeget. in Eur. II p. 16) censet post v. 509 unum versum esse supplendum et de hac fere huius loci forma cogitat:

Ὁρᾶτε μ' ὅσπερ ἦ περίβλεπτος βροτοῖς
ὀνομαστὰ πράσσων, ὡς (pro καί μ') ἀφείλεθ' ἡ τύχη
(ὅσαπερ ἔτερπε πάντα, φροῦδα δ' ᾤχετο)
ὥσπερ πτερὸν πρὸς αἰθέρ' ἡμέρᾳ μιᾷ.

Neque autem puto tali medicina nostrum locum sanari posse. Nam praeter structuram totius enuntiati displicet etiam usus adiectivi περίβλεπτος [2]), quod aut absolute sine additamento

---

1) Adde his exemplis, ubi exordia declamationum ab interpolatoribus obscurata sunt, duo alia, Andr. v. 384—386, quos non Euripideos esse recte vidit Hirzelius l. l. p. 62—63, et Iph. A. v. 1255—1256, quos ego pro spuriis duco: ἐγὼ τά τ' οἰκτρὰ συνετός εἰμι καὶ τὰ μή, φιλῶν ἐμαυτοῦ τέκνα· μαινοίμην γὰρ ἄν. Nam in v. 1257 ita scribendum erit: δεινῶς ἔχει μὲν ταῦτα τολμῆσαι, γύναι.

2) cf. ἀπόβλεπτος Hec. v. 355.

ponitur aut, si casus additur, praepositionis adminiculo eget (cf. Andr. 89. Iph. A. 429. Xen. Sympos. 8, 38. Cyrop. VI, 1, 5. Plut. Marc. 2, 3) excepto genetivo partitivo qui dicitur. Idem fere valet de adiectivo ὀνομαστός, quod mihi praeter hunc locum in Euripide nusquam occurrit. Praeterea valde claudicant haec verba ὀνομαστὰ πράσσων, quae rationibus grammaticis artissime sunt coniungenda cum enuntiato praecedente ὅσπερ . . . ἦ. Gravius autem est, quod Herwerdenus recte vidit, non esse bene Graecum illum verbi ἀφαιρεῖσθαι usum:

καί μ' ἀφείλεθ' ἡ τύχη
ὥσπερ πτερὸν πρὸς αἰθέρ' ἡμέρᾳ μιᾷ.

Neque enim Euripides hac ratione verbum ἀφαιρεῖσθαι adhibere solet. Sed verbum καθαιρεῖν hoc modo a poeta usurpatur, ut apparet ex Herc. v. 1396: καὶ τοὺς σθένοντας γὰρ καθαιροῦσιν τύχαι. et ex optimo In. fr. 424, 2—3: καὶ μί' ἡμέρα τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω. Hoc enim adscribo, quamvis hic de rebus, non de „personis" tollendis agatur, ut eluceat ne hanc quidem dictionem: ἀφαιρεῖσθαι vel καθαιρεῖν πρὸς αἰθέρα Euripideam esse. Si tali additamento omnino opus est, prorsus contraria significatio postulatur, ut illud ὑψόθεν vel ἐς Ἅιδου (Hippol. 829) vel ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ (Soph. Oed. R. 178). Nam Euripides, qui hanc locutionem 'πρὸς αἰθέρα' et similes ita habet in deliciis, ut ab Aristophane in risum detorqueantur (Ran. 1352), semper has dictiones coniunxit cum verbo aliquo volandi vel simillimis verbis, ut φεύγειν (coniunguntur duo verba Iph. T. 843—44) vel ἔρρειν (Andr. 830) vel οἴχομαι (Hel. 1219) vel cum adiectivo φροῦδος (Hec. 334—35). Hunc usum Euripideum etiam Wecklinius intellexit: sed dum διέπτατο, ut modo diximus, e v. 507 in nostrum versum transfert, neglexit vir doctissimus non tam διαπέτεσθαι quam ἀναπέτεσθαι πρὸς αἰθέρα sententia nostri loci postulari. Bene autem utique adhibetur διαπέτεσθαι in v. 507 de tempore diffugiente, ut ex. gr. de anima in Plat. Phaed. p. 70 A ὥςπερ πνεῦμα ἢ καπνὸς διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπτομένη, cf. ib. p. 84 B. Rectissime igitur noster locus se haberet, si per se (sine πρὸς αἰθέρα) haec scripta essent: καὶ διέπταθ' ἡ τύχη . . . . ἡμέρᾳ μιᾷ. Sed nova nobis oboritur difficultas additamento illo

ὥσπερ πτερόν. De ipso quidem vocabulo πτερόν ego non disputabo: sufficiat mihi adscribere Herc. 653—654, quibus senectus vituperatur a senibus Thebanis: ἀλλὰ κατ' αἰθέρ' ἀεὶ πτεροῖσι φορείσθω, quoniam conicere licet praeter alios locos hunc quoque in suum usum convertisse interpolatorem. Nos autem eo molestius ferimus ὥσπερ πτερόν, quo magis est dubium et incertum, quisnam significetur per πτερόν, utrum τύχη an ipse Amphitruo. Nam eodem iure atque τύχη ipsa (vel ὄλβος vel similes dictiones) is qui fato rapitur avis imagine describitur, ut ex eis locis, quos iam supra commemoravimus, satis apparet: Hippol. v. 828 sq.:

ὄρνις γὰρ ὥς τις ἐκ χερῶν ἄφαντος εἶ,
πήδημ' ἐς Ἅιδου κραιπνὸν ὁρμήσασά μοι.

et Soph. Oed. R. 175 sq.:

ἄλλον δ' ἂν ἄλλῳ προσίδοις ἅπερ εὔπτερον ὄρνιν
κρεῖσσον ἀμαιμακέτου πυρὸς ὄρμενον
ἀκτὰν πρὸς ἑσπέρου θεοῦ.

Quamobrem probaremus coniecturam Hartungi πτεροῖς scribentis, nisi totus locus, qui ex diversissimis dictionibus Euripideis conflatus est, putidior esset quam qui ex ipsius Euripidis ingenio prodiisse existimaretur [1]).

---

1) Non reticebo me omnino improbare, quae Wil. A. p. 233 statuit de versibus 517—518. Nam v. 518 suo iure Euripideum non esse iudicavit Hartungus propter mirum usum verbi κηραίνω, quod idem valet apud Euripidem quod Latinorum 'animo agitare' vel ut Plautino utar verbo, 'in corde vorsare'. Sed quidquid sentiemus de v. 518, certe nulla est causa, cur v. 517 Amphitruoni tribuatur, cf. Cycl. v. 8. Nam Euripides minime is est, qui ita ut Wil. nobis persuadere vult 'orationi per summas animorum perturbationes concitatae aculeos inserat'. Hac sententia ducti etiam ex sequente scaena eiciemus v. 536—537:

τὸ θῆλυ γάρ πως μᾶλλον οἰκτρὸν ἀρσένων,
καὶ τἄμ' ἔθνῃσκε τέκν', ἀπωλλύμην δ' ἐγώ.

An putabimus poetam τραγικώτατον his insipidis versibus non tam Megaram quam se ipsum irridere voluisse? Continet autem v. 536 sapientiam de trivio sumptam et v. 537 fictus videtur e v. 492 et v. 550, cf. etiam v. 280 sq. Ceterum de v. 537 iam Schenklius (l. l. p. 16) recte iudicavit.

De Herc. v. 562—582.

Mihi certissimum est Herculis orationem (v. 562 sq.) olim hanc habuisse clausulam:

τῷ γάρ μ' ἀμύνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρὴ
καὶ παισὶ καὶ τεκόντι (Wil. A. p. 229); χαιρόντων πόνοι.

Nam omnes qui secuntur versus usque ad v. 582 tantopere putidissima histrionis nescio cuius sapientia scatent, ut neque Wil. neque Wheelerus (p. 67), qui omnes hos versus (excepto v. 576, quem Wheelerus cum Herwerdeno delet) pro sanis et vere Euripideis ducunt, mihi auctoritatem huius additamenti augere possint. Primum autem hic quoque opus est commemorare illud exemplum interpolationis simillimae, quod iam supra tetigimus, dico Heracl. v. 456—460, quos Vsenerus eiecit, dum restituit hunc legitimum et genuinum Iolai orationis terminum:

οὐ φιλεῖν δεῖ τὴν ἐμὴν ψυχήν· ἴτω.

Deinde supra p. 38—40 satis superque disputavimus de falsa vi, quam verbo ἐκπονεῖν supposuit auctor v. 581. Sed ne quis putet ex coniectura Hartungi (ἐκπονεῖν σωτήρια) aliisve coniecturis veram salutem posse inveniri nostro loco, ceteras horum versuum insulsitates et difficultates nunc patefaciemus. Suo igitur iure Herwerdenus (Ad Euripidem Tr. Rh. 1876 p. 20) censuit v. 576

μάτην γὰρ αὐτοὺς τῶνδε μᾶλλον ἤνυσα

esse provocatum apta poetae breviloquentia. Sed hanc ipsam concisam dictionis brevitatem interpolator v. 576 imitatus est, ita quidem ut falsam et insuavem obscuritatem consequeretur. An quis feret illud τῶνδε, quod interpretandum est τῶνδε τῶν μελλόντων πόνων, praesertim cum in sequente versu τῶνδε et οἵδε recte referantur ad praesentem Herculis familiam? Nihilominus v. 576 non erit separandus ab insequentibus versibus, cum quasi pons quidam additamentum falsarii cum versibus vere Euripideis coniungat. Vtique male cohaereret v. 577 (καὶ δεῖ μ') cum v. 575, exspectares pro καὶ — ἢ οὐ vel δεῖ γάρ μ' κτλ. Sed mittamus has quisquilias. Quid

omnino censebimus de sententia totius loci? Estne verisimile Herculem, qui in animo habet inimicos suos conficere, de sua ipsius morte cogitare? Quid velit, plane et plene dicit v. 574 τῷ γάρ μ' ἀμύνειν κτλ. Neque igitur Hercules is est, qui arbitretur se pro suis mortem esse subiturum, neque recte se habet, quod in altera v. 577 parte exstat:

εἴπερ οἴδ' ὑπὲρ πατρός.

Violantur enim his verbis et leges cogitandi et leges grammaticae. Neque enim licet εἴπερ nude h. e. sine verbo adhibere, nisi aut indefinitum aliquod vel pronomen vel adverbium additur, cf. Eur. Andr. 553 εἴπερ ποτέ aut etiam in superiore enuntiato verbum deest et facile suppletur, ut in Aesch. Ch. 214—215 (ed. K.):

ΗΛ. ἀλλ' ἐν κακοῖσι τοῖς ἐμοῖς γελᾶν θέλεις.

ΟΡ. κἀν τοῖς ἐμοῖς (cum Turnebo) ἄρ', εἴπερ ἔν γε τοῖσι σοῖς.

Neque autem opus est eos locos his adnumerare, ubi nihil omissum est nisi copula, cf. Iph. A. 889, quamquam hic versus fortasse corruptus est (Madv. Adv. Cr. I p. 257 et notam Weilianam inspicias). Sed si quis has regulas contemneret, si rationibus vere grammaticis verbum ad εἴπερ οἴδ' posset suppleri, quodnam tempus elicere poteris ex praecedente verbo, quod non praebeat sensum absurdum? Propter verba ὑπὲρ πατρός ne ita quidem, ut imperfectum conatus quod dicitur ex δεῖ μ' ἀμύνοντα θνήσκειν suppleamus, insulsitas sententiae sanari potest. Scimus enim e v. 165—167, ex ipsius Lyci verbis, cur ille infantibus parcere nequeat. Non pro patre suo liberi morti devoti sunt [1]), quoniam Lycus minime dubitat, quin Hercules aeternam apud inferos sedem teneat (v. 145 sq.). Sed properemus ad sequentia verba:

ἢ τί φήσομεν καλὸν
ὕδρᾳ μὲν ἐλθεῖν εἰς μάχην λέοντί τε
Εὐρυσθέως πομπαῖσι, τῶν δ' ἐμῶν τέκνων
οὐκ ἐκπονήσω θάνατον;

---

1) Rectus est hic sensus in Or. v. 1231—1232: ὦ πάτερ, ἱκοῦ δῆτ', εἰ κλύεις εἴσω χθονὸς τέκνων καλούντων, οἳ σέθεν θνῄσκουσ' ὕπερ. Nam Orestes et Electra vere pro patre mortuo mortis periculum subeunt.

de quibus Wil. A. p. 229 dicit: „anacoluthon Herculi unice convenit“. Quid autem Herculi conveniat, non meum est quaerere. Fieri quidem potest, ut vir in inimicos suos saeviturus balbutiat. Sed poetam tragicum balbutire et leges grammaticas sine iusta causa neglegere semper dedecet [1]). Ad v. 581—582 pangendos falsarius vocabulum καλλίνικος ex nostrae fabulae v. 570 et 961 sibi sumpsit. — Sed antequam Herculem relinquamus, necesse est patefaciamus callidiorem quandam interpolationem, quae huic Herculis orationi intrusa est. Ineptum enim est credere poetam nostrum (569—571) Cadmeos Herculi adversarios vel ingratos ita in duas partes divisisse, ut Herculem minantem fingeret, se alios clava sua alios sagittis esse interempturum. Quod recte cognovit Herwerdenus, qui (l. l.) de his versibus disputavit. Sed vehementer errat hic vir doctissimus, dum v. 570 eiciendum esse ex Euripide iudicat. Quem satis inscite putat infersisse hominem sciolum, qui ignorasset, quo τοὺς δέ referret, et aegre desiderasset clavae Herculeae mentionem. Quanto autem verisimilius est poetam clavam, sine qua Herculem in scaenam non prodiisse constat (Wil. A. p. 204), hic commemorasse quam arcum et tela. Itaque quamquam haud ignoro Herculem in nostra scaena, quippe qui rediret ex itinere suo, omnia tela secum gestasse, nimirum praeter clavam arcum quoque (cf. v. 942), tamen contra Herwerdenum v. 570 mordicus teneo et damno sequentem versum, qui ineleganter adsutus est a falsario tamque incommode, ut τοὺς δέ non habeat suum τοὺς μέν, cui respondeat. Wecklinius quidem putat in v. 570 facile suppleri posse τοὺς μέν. Et ego libenter concedo in optima Graecitate satis multa inveniri exempla, ubi partitio

---

1) Verum est, quod iam antea interdum tetigimus, interpolatores sibi sedulo adrogasse cum universae dictionis insolentiam tum omnes structuras 'defectivas' (sit venia verbo!). Et quamquam difficillimum est in his rebus, quae ad 'ellipsin' pertinent, vera separare a falsis, tamen nonnunquam falsarii eo cognoscuntur quod nimis impudenter verum excesserunt modum, ut modo vidimus in Herc. v. 577 (εἴπερ οἴδ' ὑπὲρ πατρός), quocum comparari potest Hec. v. 57 (ὅσονπερ εὖ ποτ'), quem una cum tota prologi clausula ex Euripide eiecit Kl. (p. 35—36).

quaedam per ὁ μὲν — ὁ δέ vel οἱ μὲν — οἱ δέ ceterisve casibus fiat quidem, sed primum pronomen desit, cf. Rehdantzi ind. Demosth. p. 254. De exemplis Euripideis disputaverunt Elmsleius Med. p. 95 et Porsonus ad Or. v. 891. Nihilominus opus est unumquemque ex eis locis, ubi haec ellipsis nobis occurrit, per se diligentissime considerare. Vt Elmsleius miro modo erravit, dum Herc. v. 1036 (apud N. 1039) cum nostro exemplo comparat. Altero autem loco (v. 636), quem ex Hercule afferunt interpretes, nunc ab Wheelero privati sunt (p. 66—68). Neque vero mihi dubium est, quin eo quem tractamus loco, quoniam in rebus ipsis nulla inest oppositio vel partitio, immo omnes inimici Herculis expressis verbis comprehenduntur, falsarius abusus sit illa consuetudine vere Attica. Nam augetur nostra suspicio verbo διαφορῶν, in quo explanando adhuc frustra sudaverunt interpretes. Significat autem διαφορεῖν, ut apud Wecklinium recte exstat, nihil aliud nisi discerpere, lacerare. Hoc modo rectissime adhibetur de Bacchis (Βακχῶν σπαραγμός v. 735) contra iuvencas et vaccas saevientibus (Bacch. v. 739 et 746) et in eiusdem fabulae v. 1210 de Agave, quae gloriatur de discerptis Penthei membris: χωρίς τε θηρὸς ἄρθρα διεφορήσαμεν, cf. Aristoph. Equ. 294 et Av. 338. Quomodo autem talis corporum laceratio sagitta et telis fieri possit, equidem non video. Eiciamus ergo hunc molestissimum versum ex Herculis oratione et restituamus in v. 572

νεκρῶν δ' ἅπαντ' Ἰσμηνὸν ἐμπλήσω φόνου [1]).

---

1) Liceat mihi adnotare similem inveniri interpolationem in Med. v. 304—305, quos iam Hirzelius (p. 43—44) damnavit. Hoc autem loco τοῖς μέν, quod exstat in v. 303, falsario satis commodam praebuit interpolationis ansam. Sed apparet huic τοῖς μέν in genuino versuum ordine nihil aliud oppositum fuisse quam σὺ δ' οὖν (v. 306). — Cum Herc. v. 636 ἔχουσιν, οἱ δ' οὔ (h. e: χρήματα) utile est comparare verba vere Euripidea, quae una cum aliis locis histrionali illi philosopho materiam praebuerunt, cum de eadem re dicantur: Aeol. fr. 22, 3 κύκλῳ γὰρ ἕρπει· τῷ μὲν ἔσθ', ὁ δ' οὐκ ἔχει· κοινοῖσι δ' αὐτοῖς χρώμεθ'.

De Alc. v. 280—325.

Laudandus est N., quod primus in Alc. v. 282—283 offendit (Eur. St. II p. 58), neque eum refutavit Kviçala, qui quamquam exempla ex Thucydide et Herodoto affert, ubi verbum καθιστάναι cum infinitivo coniunctum habemus, tamen ipse concedit hanc dictionem: καταστήσασα φῶς τόδ' εἰσορᾶν quodammodo certare cum legibus cogitandi (Stud. zu Eurip. II p. 6—7). Nihilominus ne N. quidem verum vidit, cum neque probabilior neque melior sit haec structura: σὲ πρεσβεύουσα φῶς τόδ' εἰσορᾶν quam quae tradita est. Sed interpolatoris vestigia, quae in v. 282—283 facillime cognoscuntur, etiam in primo v. 284 vocabulo, in θνῄσκω, latent. Nam quivis lector diligens mihi libenter concedet aut primum verbum θνῄσκω aut alterum οὐκ ἠθέλησα ζῆν (v. 287) inutile et molestum aut, ut rectius dicam, falsum esse. Neque quidquam proficiemus, si post v. 286 graviorem distinctionem statuerimus aut cum Lentingio scripserimus pro οὐκ — κοὐκ (Kviçala mavult οὐδ'). Neque enim divelli debent v. 284—289, qui sine dubio ad unam sententiam et ad unum enuntiatum pertinent. Quod recte sensit auctor scholii ad v. 284 scripti: παρόν μοι· ἀλλ' ἐξόντος μοι σοῦ ἀποθανόντος ἄνδρα ἔχειν μέγιστον τῶν θεσσαλῶν, οὐκ ἠθέλησα. Ita ergo fortasse restituendus est genuinus Euripides, ut deletis v. 282—283 pro 'θνῄσκω' scribamus 'ἐγώ'. Neque vero ignoro v. 282—283 expulsis novam offensionem esse ortam. Nam opus est nobis propter θανεῖν, quod in v. 281 et in v. 284 in eadem trimetri sede exstat, etiam v. 281 pro spurio ducere. Accedit autem aliud argumentum. Exspectamus enim post v. 281 Alcestin statim esse dicturam ἃ βούλεται, nimirum ea quae in altera orationis parte inde a v. 299 exponit, ubi bene praefatur haec:

εἶεν· σὺ νῦν μοι τῶνδ' ἀπόμνησαι χάριν·
αἰτήσομαι γάρ σ' ἀξίαν μὲν οὔποτε.

Sed in prima orationis parte nihil aliud depingit poeta nisi τὰ 'Αλκήστιδος πράγματα ὡς ἔχει, h. e. merita egregiae mulieris. Itaque hoc est verum orationis initium:

Ἄδμηθ', ὁρᾷς γὰρ τἀμὰ πράγμαθ' ὡς ἔχει,
ἐγὼ παρόν μοι μὴ θανεῖν ὑπὲρ σέθεν κτλ.

Certe negari non potest hac coniectura et sententiam et structuram nostri loci bene sanari, quamvis liceat conicere hanc ipsam constructionem perspicuam falsario longiorem et contortiorem fuisse et primam interpolationis causam dedisse. Sumpsit autem versificator fraudis suae materiam ex ipsa Alcestide: nam verbum πρεσβεύειν nobis in mentem revocat v. 155 πόσιν προτιμῶσ' et verba: καταστήσασα φῶς τόδ' εἰσορᾶν produntur v. 362 πρὶν ἐς φῶς σὸν καταστῆσαι βίον, cf. praeterea v. 340 et v. 461—462.

Desperatum v. 291

καλῶς μὲν αὐτοῖς κατθανεῖν ἧκον βίου,

quem corruptum esse iam dudum viderunt interpretes, silentio praeterire mihi non licet. Nam emendationes, quae adhuc indagatae sunt a viris doctis, etiamsi primo obtutu lectori arrident, tamen probari nequeunt. Ne Mekleri quidem coniectura (καταφρονεῖν βίου) mihi satisfacit, cum etiamsi differentiam temporum (καταφρονεῖν — σῶσαι — θανεῖν) mittimus, utique remaneat incommoda eiusdem notionis repetitio. Idem cadit in Hartungi coniecturam: ἐκλιπεῖν βίον. Et mehercle tam desperati sunt nostri versus, ut valde sit dubium, num unquam vera medicina, quae nobis verum reddat Euripidem, inveniri possit. Nihilominus dicam, quod mihi adhuc maximam praebet probabilitatem. Conicio enim olim sententiam v. 290—291 brevissime expressam fuisse uno versu. Quid vero Euripides scripserit, amplificatoris opera diligenti tam incertum est, ut caute coniecturae parcam. Suspecta mihi sunt ex. gr. verba: καλῶς δὲ σῶσαι παῖδα, cum servandi notio iam lateat et facile eliciatur ex contrario verbo προύδοσαν. Sin vero duo illi versus ex ipsius Euripidis ingenio prodierunt, mihi certissimum est primum versum (291) oppositum fuisse v. 289 (ἥβης ἔχουσα δῶρ', ἐν οἷς ἐτερπόμην) et continuisse significationem aetatis parentium iam longe provectae, cf. v. 469—470:

ὃν ἔτεκον δ' οὐκ ἔτλαν ῥύεσθαι,
σχετλίω, πολιὰν ἔχοντε χαίταν,

cf. etiam scholiorum interpretationem: ἧκον· ἀντὶ τοῦ ἧκον-

τος, ὅ ἐστι καιροῦ αὐτοῖς ἥκοντος εἰς τὸ ἀποθανεῖν ἀπογεγηρακόσιν. Sed audias hanc quoque observationem, quae meam desperationem auxit. Constat enim inter viros doctos Lentingium rectissime eiecisse ex magna Admeti declamatione, quam contra patrem iactat (629—672) v. 651—652, quos effictos esse ex nostrae orationis v. 295—296 vel caecus homo videre potest. Nihilominus haec res per se suspicionem movere non debet, quod omnino multae inveniuntur similitudines in utraque oratione. Tamen hoc satis mirum est, quod v. 643, qui eam continet sententiam, quae in v. 291 desideratur, eisdem fere vocabulis terminatur quibus ille (ἥκων βίου). Talia autem indicia non esse spernenda elucebit ex eis, quae infra de Herculis oratione (Alc. 773—803) indagabimus.

Denuo offendimus in v. 314—316, de quibus latius disputare in animo habui, antequam legissem, quae Kviçala (l. l. p. 7—11) de his versibus sagaciter disseruit. Nunc autem, cum de omnibus fere rebus cum Kviçala consentiam, paucis verbis contentus ero. Mihi enim certissimum est v. 314—316 esse damnandos, sed v. 308—310, quibus bene absolvitur vituperatio novercarum, recte esse servatos et defensos contra Hirzelium (p. 88) a Prinzio, novissimo huius fabulae editore, et a Kviçala. Et hoc unusquisque videt omnia, quae post v. 310 de noverca dicta sunt, turbare molestissime bonam orationis divisionem. Iam satis Alcestidi persuasum est Admetum novam mulierem non esse ducturum in matrimonium: itaque in v. 311, 313, 317—319 disserit de futura suorum liberorum condicione et imprimis, ut rerum natura fert, de filiola sua. Nam de puero, de quo minus sollicita est, unum habet versum 311 καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν. Nam v. 312 ὃν καὶ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν, quem Piersonus olim Euripidis Manibus mactavit, nostro saeculo nemo ex Orco revocare potest, ne Meklerus quidem, qui (Euripid. p. 21—24) de hoc versu 'naufrago' longam et satis lepidam fabellam narrat. Conicio autem v. 312 originem deberi scholiorum explicationi, quam miro modo uno Kviçala excepto adhuc neglexerunt viri docti. Puto enim praeter unum versum 311 nihil de puero legisse

qui ita scribere potuit: καὶ παῖς μὲν ἄρσην· καὶ περὶ μὲν τοῦ ἄρσενος οὐδὲν ἔχω πλέον λέγειν κτλ. In longiore autem quae sequitur explanatione sola verba: παρρησίαν γὰρ ἄγει πρὸς τὸν πατέρα ansam dederunt stolidissimo homuncioni, qui v. 195 hoc loco inseruit. Eodem autem modo puto v. 314—316 ex antiquis explicationibus manasse [1]. Neque tamen negari potest bonam observationem, quae cum vulgari de novercarum moribus opinione plane consentiat, contineri v. 315—316. Eo magis dolendum est, quod haec sapientia falso exstat loco, quoniam sero retractantur priora (noverca) et occupantur sequentia (nuptiae filiolae). Adde quod ne grammatica quidem forma v. 314—316 magnis caret offensionibus. Ita nemo defendet duram et ineptam v. 314 structuram. An censebimus Euripidem hunc simplicissimum sensum tam contorte expressisse, ut, nisi vetaremur nexu rerum, potius cogitaremus de futura quadam filiolae sorore ex noverca nata quam de nova quadam Admeti uxore, de ipsa noverca? Praeterea mihi dictio κληδόνα προσβάλλειν provocata videtur illa quae exstat in v. 307 χεῖρα προσβάλλειν. Tamen haec ipsa locutio κληδόνα προσβάλλειν, quam ego praeter hunc locum in Euripide non inveni, per se vituperari nequit [2]. Vocabulum σύζυγος (v. 314) in hac ipsa fabula bis adhibetur de Alcestide (342 et 384), in v. 921 σύζυγες dicuntur Admetus et Alcestis. Recte hoc vocabulum (σύζυγοι) restituit Vsenerus in Bacch. v. 694, quem ego contra Kl. (p. 79 n. 1) non pro spurio duco. Ceterum haec vox ut de coniugibus ita de omnibus usurpatur, qui artissimo necessitudinis vel amicitiae vinculo coniuncti sunt, ut Tr. 1001

---

1) Apertissime ex perdita quadam adnotatione marginali effluxit Herc. v. 706 ἐφ οἷς ὑπέστητ’ αὐτεπάγγελτοι θανεῖν, qui continet vetus scholion olim ad v. 702—703 πέπλοις κοσμεῖσθε σῶμα καὶ νεκρῶν ἀγάλμασιν adscriptum. Multas vero interpolationes in contextum Euripideum pervenisse ex eis notis vel scholiis, quae mythologicam quandam doctrinam traderent, iam satis constat. Cuius generis locis ego adnumero Herc. v. 1331—1333 et Heracl. v. 349—351, cf. quae infra (p. 15 n.) diximus de Herc. v. 1151—1152.

2) Conferas ex. gr. Plat. Leg. 878 C αἰσχύνην μεγάλην τινὰ προσβάλλῃ (sc. τὸ τραῦμα) τῷ τρωθέντι καὶ ἐπονείδιστον.

Pollux nominatur σύζυγος Castoris et Iph. T. 250 Orestes σύζυγος Pyladis, cf. etiam συζυγίαν (Musarum et Gratiarum) in Herc. v. 675.

De Alc. v. 328—368.

Hirzelius, qui (p. 50—51) Admeti orationem tractavit, luculentissime iudicavit de v. 332—333, quos primus N. in suspicionem vocavit. Sed valde miror quod nemo adhuc offendit in v. 334—335, quibus insulsiores in tota Alcestide non possint inveniri. Nam omnia, quae Hirzelius contra versus praecedentes bene dixit, eodem iure contra nostros dici possunt, cum magna huius loci vis et severa, ut ita dicam, gravitas huius orationis plane deleantur his humilibus et insipidis verbis:

ἅλις δὲ παίδων· τῶν δ' ὄνησιν εὔχομαι
θεοῖς γενέσθαι· σοῦ γὰρ οὐκ ὠνήμεθα.

Fuerunt quidem, qui profanam sententiam ita studerent corrigere, ut ἅλις δὲ παίδων artissime cohaerere cum sequentibus verbis docerent. Neque vero viderunt hi viri docti se hac ratione nihil aliud profecisse nisi tantum, ut structuram redderent inelegantiorem et profanam sententiam multo profaniorem. Perseveremus ergo in ea distinctione, quam non modo plerique editores sed etiam scholia probant, dum dicunt: ἕως τοῦ παίδων δεῖ στίζειν. Summa autem offensio, quae nullo modo potest removeri, inest in eis verbis, quae argumenti locum tenent: σοῦ γὰρ οὐκ ὠνήμεθα. Quae tantopere omni carent pietate, ut audire nobis videamur magis vituperantem maritum quam laudantem vel gratias agentem. Quomodo poeta noster ipse eandem fere sententiam expresserit sine offensione, videre licet ex parvuli Eumeli lamentatione (v. 411—415). Ceterum sententia quattuor versuum insiticiorum (332—335) quodammodo conferri potest cum Med. v. 555—558.

Quid de v. 344

στεφάνους τε μοῦσάν θ', ἣ κατεῖχ' ἐμοὺς δόμους,

quem damnavit Wheelerus (p. 32), sentiam, mihi nondum satis certum est. Vtique utile est cum v. 343—346 comparare Herc. v. 673—677, qui in cantico exstant et similes continent dictiones. Versus 348—356 nostrae fabulae Dindorfius in adnotationibus suis vituperat causa non adiecta. Mihi quoque hi novem versus non modo ψυχρὰν τέρψιν praebere videntur, sed etiam risum movere lectoribus. Tamen valde cavendum est, ne omnia quae nobis displicent ex Euripide removeamus, quamquam nemo non videt, quam bene v. 357 sq. se applicare possint ad illos versus, ubi Admetus renuntiavit se uxore mortua omnino non esse cantaturum. Nam quid his verbis aptius opponeretur quam Orphei, musicorum principis, mentio? Sed, ut modo dixi et nunc consulto repeto, non sum tam audax, ut his argumentis nisus versus per se bonos ex nostra oratione expellam. Nihilominus hoc extremo loco commemorabo eandem rem, quae in hac declamatione quasi obiter a poeta tangitur, summi fuisse momenti (ut satis constat) in alia fabula Euripidea, in Protesilao. Legas autem, quae Euripidem secutus Hyginus tradidit in fabula 103 et 104 et Ovidius Her. XIII v. 149—156. Cum Alc. v. 354—356, quorum extremus nondum sanatus videtur, componas eiusdem Her. XIII v. 102—108, quamvis in longe alium sententiarum nexum quadrent (cf. Welckeri Gr. Tr. II. p. 494—499).

De Alc. v. 773—802.

Iam supra, cum disputaremus de Hec. v. 824 sq., unum invenimus ex eis locis, ubi Cypris et ea quae ad Cypridem pertinent falsariis interpolationis materiam praebuerunt. Nemo vero mirabitur, quod hac commoda et amoena occasione saepe usi sunt impostores. Vt mihi ex. gr. verisimile est, quod iam dudum coniecit Hartungus, Hippolyti v. 447—450, qui exstant in illa nutricis de Venere disputatione (433—481), continere additamentum ex ipso Euripide sumptum, quoniam expositio illa metaphysica (ut ita dicam) orationis ordinem interrumpit et turbat. Et cum hoc Hippolyti loco conferas

velim Bacch. v. 773—774, qui vulgarem populi tunicati sapientiam tradunt: οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος οὐκ ἔστιν Κύπρις οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι. Quos ab ipso Euripide in hac fabula esse scriptos, quoniam ab ipsius nuntii fine et consilio abhorrent (cf. v. 687—688 et v. 313—316), mihi nondum potui persuadere. Neque autem deesse videntur in Bacchis alii loci, ubi Cypris argumentum interpolationis vel dilatationis dederit: quos nunc tractare non licet. Praeterea commemoro Tr. v. 665—668, qui immodestia illos Hecubae versus plane aequiparant. Puto autem cum Dindorfio non modo v. 665—668 sed etiam v. 661—664 et v. 669—672 ab Troadibus esse alienos, praesertim cum nemo post Wil. praeclaram de v. 365—383 disputationem (A. p. 221—224) dubitare possit, quin haec quoque fabula longis et impudentissimis additamentis foedata sit. Sed tempus est, ut redeamus ad Alcestin, ubi callidissime insertam habemus Cypridem in v. 790—791. Hercules enim postquam veram vitae sapientiam servum docuit, finem admonitionis suae facit v. 787—789:

ταῦτ' οὖν ἀκούσας καὶ μαθὼν ἐμοῦ πάρα
εὔφραινε σαυτόν, πῖνε, τὸν καθ' ἡμέραν
βίον λογίζου σόν, τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης.

Quis non credat haec legens verba orationem Herculis esse bene absolutam? Et mehercle post v. 789 nihil novi affert Hercules nisi unam Cypridem, quae ab nostro loco plane abhorret. Apparet praeterea poetam, si omnino amoris expressis verbis mentionem facere voluisset, Cypridem ante v. 787 fuisse commemoraturum. Hercules autem tantum abest ut singulas voluptates, quae diem carpentibus praesto sunt, enumeret, ut contentus sit generali praecepto (v. 788) εὔφραινε σαυτόν. Adicit quidem πῖνε, non quia τὸ πίνειν praecipuum τοῦ εὐφραίνεσθαι genus est, sed quia ipse Hercules cum maxime potationi incumbit. Sed ut de versibus ipsis, qui Cypridis laudem continent, pauca disputemus, displicet mihi haec dura vocabulorum collocatio: τὴν πλεῖστον ἡδίστην θεῶν Κύπριν βροτοῖσιν, quae molestior reddi nequeat. Deinde lepidum illud argumentum, quod inest in altero versu: εὐμενὴς γὰρ ἡ θεός, non est argumentum, sed re vera repetitio

eiusdem sententiae facta ad versus numeros supplendos. Cur vero singula quaeramus? Nihil invenio in his versibus, quod non potuerit de trivio sumere quivis interpolator. Certe Euripides, etiam ubi de Cypride loquitur, nunquam ita caret sale Attico, ut hic pannus turpissimus. Inspicias autem praeter alios locos Hel. v. 1105—1106 et Aeol. fr. 26:

τῇ δ' Ἀφροδίτῃ πόλλ' ἔνεστι ποικίλα·
τέρπει τε γὰρ μάλιστα καὶ λυπεῖ βροτούς·
τύχοιμι δ' αὐτῆς, ἡνίκ' ἐστὶν εὐμενής.

Quam simplicem sententiam saepe pulcerrime expressit poeta noster. Nihilominus falsarius misellis suis versibus hoc unum effecit, ut videretur prorsus novam orationis partem incohare et lectores de vera loci natura deciperet. Sed necesse est altius argumenta repetamus, ut demonstretur omnia, quae a v. 790—802 tradita sunt, Euripidi supposita esse ab audacissimo interpolatore. Operae autem pretium est vetus scholion quod ad v. 780 habemus exscribere, quoniam hic vestigia quaedam falsarii nostri satis antiqui latere videntur. Cuius scholii verba haec sunt: τὰ θνητά· οὐκ εὐλόγως τὸν πράγματ' [1]) Ἡρακλέα εἰσήγαγε φιλοσοφοῦντα ἐν μέθῃ, ὃν ἔδει καὶ ἄλλου φιλοσοφοῦντος διαπαίζειν. Paullulum veri subesse huic scholiastae adnotationi nemo negabit. Tangit enim auctor scholii eam rem, quae poetae difficillima fuit in hac fabula scribenda quaeque saepe tractata est a viris doctis, eam dico quaestionem, an omnino fieri potuerit, ut Euripides 'duas res incongruas' coniungeret subiungens 'pietatem uxoris incomparabilem Herculis magnanimitati atque ingenuae hilaritati' (Wheeleri diss. p. 33). Attamen eis, qui totam fabulam sine opinionibus praeiudicatis percensebunt, concedendum erit Euripidem, dum non modo nimiam severitatem sed etiam nimiam lasciviam Herculis vitare studet, rectum modum invenisse. Neque vero dubito, quin hanc sententiam, quae non mea est sed Hermanni, facilius probaturi simus (cf. Hermanni

1) Corrupta sunt sine dubio verba τὸν πράγματ' Ἡρακλέα. Scribendum erit: οὐκ εὐλόγως ἀπὸ τῶν πραγμάτων τὸν Ἡρακλέα εἰσήγαγε κτλ., cf. scholion Tr. v. 36 (Dind. vol. I p. 44): ἄμεινον ἦν ἀπὸ τῶν πραγμάτων παράγεσθαι κτλ.

praefat. p. IX—XI), si nostra oratio liberata erit spuria illa Venere ceterisque falsarii additamentis [1]. Interpolator enim eandem secutus est sententiam, quam modo legimus in scholiis, quasi in hilarotragoedia nostra Herculi (cui, ut modo diximus, quoniam servat Alcestin sua virtute, gravitas et auctoritas quaedam attribuenda erat) nullus esset locus nisi, ut in veris comoediis faciebat, immoderate potanti et comedenti et Cypridem rebus ipsis laudanti. Quamobrem philosophemata viri inebriati (praef. p. IX), qui paullum tantum vino incaluerat (ib. p. X), falsario non satis ferocia aut vino et Venere parum madentia videbantur. Sed singula pertractemus. Quid ergo? primus versus dittographiae nostrae (792) nonne est dignissimus falsario? Nam inutilis est coniectura Marklandi, qui pro ταῦτα ponit πάντα, inutilis etiam Hermanni interpretatio, qui ταῦτα refert ad tristitiam famuli. Scholiasta autem (ad v. 789 Dind.), qui explicat τὰ δ' ἄλλα — τὰ ἐπιόντα, si hoc ἐπιόντα recte vertitur 'imminentia fortunae', haud scio an rectius rem viderit. Apparet enim haec verba: τὰ δ' ἄλλ' ἔασον ταῦτα esse repetitionem e v. 789 sumptam (τὰ δ' ἄλλα τῆς τύχης) et falsarium videmus prorsus puerili modo conexum cum genuinis versibus sibi quaesivisse. verba vero, quae legimus in v. 793—794 εἴπερ ὀρθά σοι δοκῶ λέγειν· οἶμαι μέν, cum otiosa sunt, tum aperte imitantur et ineleganter v. 780—781 structuram (οἶμαι μὲν οὔ). In v. 794—795 aut τὴν ἄγαν λύπην ἀφείς aut τάσδ' ὑπερβαλὼν τύχας supervacuum est, si quidem τύχας recte scribitur. Ego incertus sum, utrum τύχας retineamus, quod in optimis libris inest, an recipiamus veterem huius lectionis aemulam, quae in a' margini adscripta est et ab scholiasta (v. 795) commemoratur his verbis: τύχας· γράφεται πύλας, ἵν' ᾖ ὑπερβὰς τὰς πύλας· εἰ δὲ τύχας, καταφρονήσας. Hoc quidem certum est Euripidem verbo ὑπερβάλλειν nusquam significationem neglegendi et spernendi attribuisse. Nihilominus verisimile est falsarium nostrum pro πύλας scripsisse τύχας, ut furtum

1) Aliis de causis totam Alcestin fabulam non iniuste vituperavit Wold. Ribbeckius in appendice suae Aristoph. Acharn. editionis, p. 287.

suum facilius lectorem celaret. Nam luce clarius est hunc hominem ipsum Euripidem compilasse, cum sumpserit e v. 829 τάσδ' ὑπερβαλὼν πύλας (hic enim πύλας rectissime se habet) et quae statim secuntur στεφάνοις πυκασθείς e v. 832. Versus 796—798:

καὶ σάφ' οἶδ' ὁθούνεκα
τοῦ νῦν σκυθρωποῦ καὶ ξυνεστῶτος φρενῶν
μεθορμιεῖ σε πίτυλος ἐμπεσὼν σκύφου.

concinnitate et perspicuitate sermonis plane carent. Quamquam haec structura: τοῦ σκυθρωποῦ φρενῶν bene defenditur exemplis Euripideis, quae attulit Kviçala (p. 23): Or. 297 et Phoen. 1740. Sed adiectivum σκυθρωπός, quod recte adhibitum est v. 774, minus apte cum φρενῶν coniunxit interpolator, cum Euripides adiectivum σκυθρωπός, ut natura vocis postulat, non de animo, sed de visu vel oculis ipsis usurpaverit, ut clarissime elucet ex Bacch. v. 1251: ὡς δύσκολον τὸ γῆρας ἀνθρώποις ἔφυ ἔν τ' ὄμμασι σκυθρωπόν, Phoen. 1333, Or. 1319. Neque abhorrent ab hoc usu ei loci, ubi σκυθρωπός nude per se exstat, ut in In. fr. 410, alibi. Ne v. 798 quidem, qui primo obtutu gravitatis speciem praebet, miris caret et audacissimis dictionibus. Neque enim mea quidem sententia defendi potest hic usus verbi μεθορμίζειν Med. v. 258 et v. 441—443: sed μεθορμιεῖ toleraremus, si cetera bene se haberent. Vehementer enim displicet molestissimum participium ἐμπεσών et verba 'πίτυλος σκύφου' libentius probaremus, si pro singulari numero pluralem adhibuisset auctor (cf. Tr. 1236 et scholiorum interpretationes). Nihilominus lectionem librorum antepono coniecturis Kviçalae: μεθορμιεῖς ἐς πίτυλον ἐμπεσὼν σκύφου, cum πίτυλος σκύφου (poculi remigium) certissime genuinum subiectum sit, quod unice congruat cum verbo μεθορμίζειν. — De quattuor extremis versibus mihi sufficiat paucis iudicare verbis. Puto enim v. 799 et 802 esse versus per se non ineptos [1]). Vereor autem ne v. 799, quamvis solus bonum habeat sensum, cum nostri loci sententia non plane concinat. Nam

---

1) Vsenero hic locus (v. 799—802) sapere videtur novam comoediam.

ὄντας δὲ θνητοὺς θνητὰ καὶ φρονεῖν χρεών·

minus valet de hominibus tristibus et maerore affectis quam de superbis, ut de Pentheo illo dicitur in Bacch. v. 395—396:

τὸ σοφὸν δ' οὐ σοφία
τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν.

cf. etiam Sophocl. Ter. fr. 528. Versus 800 et 801 sibi panxit interpolator, ut singulos versus compilatos iusto ponte coniungeret. Sed in v. 800 repetiit vocabula Euripidea σεμνός e v. 773 et συνωφρυωμένος e v. 777, in v. 801 vanissimae loquacitati indulsit. Versum autem extremum, si nihil nisi sententiam considerarem, ex Euripidis ingenio ortum existimarem, cum poeta nostro dignissima sit haec tristis vox:

οὐ βίος ἀληθῶς ὁ βίος, ἀλλὰ συμφορά,

sed certat cum severioribus Alcestidis fabulae legibus metricis, cf. H. Wolfi Analecta Aeschylea p. 1—18, ubi agitur de pedibus solutis. Certe autem hoc tenendum erit, quod initio huius capitis leniter significavimus, totam interpolationem vel, ut rectius dicam, dittographiam nostram in numero antiquissimorum emblematum esse habendam. Certe non minus antiqua est quam longa interpolatio a Wil. ex Troadibus eiecta (v. 365—383), praesertim cum simili modo et hic et illic fraudem factam esse videamus. Nam utroque loco interpolator tantam habuit impudentiam, ut ipsam orationem, quam amplificare studuit, compilaret. Inspicias autem, quae Wil. A. p. 223 scripsit de v. 376 Troadum (οὓς δ' Ἄρης ἕλοι) et v. 387, conferas praeterea v. 371—372 cum v. 392—393 (ἡδονὰς — ἡδοναί). Tamen necesse est coniciamus utroque loco ex alia fabula Euripidea amplificatorem suam materiam hausisse. Ita fortasse operae pretium est adnotare in Protesilao fabula, quam iam supra commemoravimus, locum infuisse videri simillimum Tr. v. 386—393, cf. Ovid. Her. XIII 135—146, ibid. v. 131 cum Tr. v. 368. Ne v. 665 sq. quidem, quos antea cum Dindorfio damnavimus, plane abhorrere ab eis, quae Protesilaus continuerit, utile est scire, cf. fr. 655 et quae acute de hoc fragmento coniecit Welckerus (Gr. Tr. II p. 495—496). Sed ut ad Alcestin redeamus, eum Herculem multo ferociorem, quem desiderat scholiasta, ipse Euripides depinxerat in ea fabula, cui nomen est Συλεὺς Σατυρικός. Nam in hac

fabula τὰς θύρας ὡς τράπεζαν θεὶς ἤσθιέ τε καὶ ἔπινεν ᾄδων (Proleg. de com. in Duebneri schol. Aristoph. p. XIX). Praeterea — id quod notabile est — Hercules in hoc dramate Syleum admonuit, ut secum biberet, ut videmus ex fr. 692 κλίθητι καὶ πίωμεν. Neque Venus defuit in hac fabula, ut elucet ex fr. 695: βαυβῶμεν εἰσελθόντες· ἀπόμορξαι σέθεν τὰ δάκρυα, quae verba explicavit Matthiaeus, quem sequitur Fixius (vol. II p. 786, cf. Valckenari Diatr. p. 204—205). Etiam Alc. v. 183—184, si quidem cum Wheelero (p. 28) ex Alcestide expellendi sunt, ex illa fabula et ex eodem rerum conexu, qui apparet in fr. 695, sumpti esse possunt. Certe hi versus Syleo, ut fabula vere satyrica et lasciva, dignissimi sunt: quamquam haud ignoro etiam in Alcestide nonnullas inveniri dictiones petulantiore fabula non indignas, ut in v. 760 ἄμουσ' ὑλακτῶν. Quam locutionem etiam in Syleo adhibuisse Euripidem iam Meinekio probabile fuit, cf. fr. inc. 899.

Corrigenda

p. 10 v. 6 lege μέλλομεν pro θέλλομεν
p. 12 v. 30 lege τοῖσδ' pro τοῖς δ'
p. 13 v. 7 lege τοῖσδ' pro τοῖς δ'
p. 14 v. 8 post gravioribus inser. offensionibus.